COMPENDIUM IURIS CANONICI PER QUAESITA ET PERSONA...

Francois : de Thyerry

Digitized by Google

I. Schmidius
an. 17
S. 11

M

35. 5. 24. 30

1

Digitized by Google


13-14-L-19

COMPENDIUM IURIS CANONICI PER QUÆSITA ET PERSONA TRADITUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Authore FRANCISCO DE THYERRY Hyberno Corcagienſi, Iuris utriuſq; Doctore Profeſſore, & in Suprema Delphinatus Curia, in Nobile Advocatorum Seminarium relato.

D.PROC.ROM.S.J.



GRATIANOPOLI,
Apud FRANCISCUM CAMPUM, Bibliopolam dictæ urbis in Platea ſancti Andreæ, ad inſigne trium Virtutum. 1694.

CUM APPROBATIONE ET PERMISSIONE.

Digitized by Google

13 . 14 . L . 19

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO
ET EMINENTISSIMO
STEPHANO LE CAMVS,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Præſuli & Principi Gratianopolitano, Decano Sabaudiæ, Abbati de Sancto Martino de Miſeriaco, & nato Præſidenti ſtatuum Delphinatus.

HOS ſtudij mei ac otij exiles fructus Tibi offero (Illuſtriſſime & Eminentiſſime Cardinalis) audetque hic libellus Iuris Cano-

Digitized by Google

nici atrium, quaſi in atrio ad perpuram jucundi tui adventus Tibi gratulari, & Illuſtre tuum ſibi nomen inſcribere; fretus non ſuâ, nec Auctoris, ſed materiæ dignitate. Tractat quippe de jure Canonico, jure æquiſſimo, regulari, Eccleſiaſtico, Divino: jure non minus ob auctorum ex quibus partim deſumptum eſt ſanctitatem venerando, quam ob præcepta eo comprehenſa æſtimando. Rectè igitur hic libellus, iſtiuſmodi juris breviarium, ſeſe tuis manibus addixit, patronum, ut genere, ità ſtudiis ac virtutibus inclytum quærens: ſi enim animum ſpectemus tuum (Cardinalis Eminentiſſime) diſciplinis ac virtuti-

Digitized by Google

bus omnibus plene inſtructum & adornatum, cum primis literati & ſanctioris ſæculi viris conferendus omninò videris. Et cui (amabo) potiùs Canonica dicanda, quàm Canonũ Myſtagogo & rigido obſervatori? Cui Eccleſiaſtica, quam Religioſiſſimo Eccleſiæ Principi Paſtori & Rectori ſapientiſſimo? Cui divina, quàm divinis verè mancipato, & terrena ſpernenti, ut cæleſtibus totus vacet? Certè Eminentiſſime Cardinalis, Tu in hoc ſtadio iàm expeditus incedis, in hoc pulvere eas lineas ducis, quas nec præſentes ſatis extollere, nec poſteri deſinent ſatis admirari. Si dignitate præcellis, præcellis & innocentiâ, & quis ſis interiùs,

exteriùs demonſtras, ſic probè noſti decere divinis mancipatos per decentiam habitus extrinſeci, intrinſecam morum honeſtatem indicare: Perſonam monitoris rectè ſuſcipis, qui piis documentis aliorum errata corrigis, at apprimè noſti in corrigendo cum ſeveritate lenitatem commiſcere; ſic Tibi ineſt, & juſte conſulens miſericordia, & piè ſæviens diſciplina. At quis animi tui tranquillitatem non ſuſpiciat? quis pietatem non laudet? quis in Eccleſiaſticis muneribus ritè & ſedulò obeundis, modeſtiam, curam, & vigilantiam non demiretur? Extollunt Te miſeri, quos tuo conſilio erigis; Egeni, quos tuâ liberalitate recreas; Viduæ &

Digitized by Google

pupillæ, quas tuo patrocinio complecteris; necnon diſſidentes, & ad Fori jurgia in procinctu & proclives, quos Tu (velut oliva pacis & paſtorali affectione) ad pacem & concordiam ſuaviter allicis & diſponis; ut obviam iretur litibus, & familiarum calamitati medeatur. Omnium denique miſerabilium perſonarum, non gemitus & ſuſpiria, ſed plenæ gaudij voces, ubique prædicant, non alium ex opibus Te capere fructum, quàm ut dare poſſis. alienam inopiam, tuam credens. Sic Tu (Eminentiſſime Paſtor & Præſul) rigidè & ad amuſſim obſervas præclarum illud Ambroſij, Aurum habet Eccle-

ſia, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod ſervare non adjuvat? *Et referente Hieronymo*: Gloria Epiſcopi eſt, pauperum inopiæ providere. Ignominia Sacerdotis propriis ſtudere divitiis. Et tibi Sacerdos de Altari vivere, * nõ luxuriari licet. *Acceſſit & eximiis dotibus tuis, ac omni ævo mirandis (tanquã ornamentum) rara quædam ac penè ſingularis in omni facultate eruditio, mira quædam urbanitas, & nativa oris modeſtia, quæ*

* *Can. Aurũ & Can. Gloria.* 12. q. 2.

nec vel minima quidem adſpernari, nec levia dedignari, Ampliſſimis tuis licet meritis imparia, penitùs aſſuevit. Hæc ſunt, (Eminentiſſime Eccleſiæ Princeps) quæ Te charum Numini, amicum Superis, gratum omnibus, Papæ & Regi Chriſtianiſſimo acceptiſſimum fecerũt. Ego verò inter cæteros & omnium, maximè, arctiſſimo veluti nodo, me humanitati Tuæ ſentio fateorque devinctum, quod literarium hocce munuſculum, & meæ ergà Te obſervantiæ teſtimonium, quàm primùm Tibi oblatum, ſerenâ fronte, accipere, fovere, ſuſtinere non hæſitaveris. Deus Opt. Max. Te diù incolumem,

Digitized by Google

ſuo in-primis honori & gloriæ, Reipublicæ Chriſtianæ utilitati ac commodo, huic Vrbi, Tuo Clero, Tuo gregi conſervet, quibus ut Aaron præfectus es, continuò invigilaturus contrà luporum curſus, ne quid mali accidat; ut Te bono Præſule ac Paſtore, ſanctioriſque vitæ exemplo.

Una fides, velut una dies, huic fulgeat Urbi.
Unus ut in cœlo Sol, & in orbe Deus.

Ita vovet adprecatúrque,

EMINENTISSIME AC ILLVSTRISSIME PRÆSVL,

Virtutum Tuarum ac patientiæ Cultor obſervantiſſimus, ac deditiſſimus Cliens,
FRANC. DE THYERRY.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PARTIBUS ET LIBRIS,

Quibus jus, ſive Corpus Canonicum conſtat & continetur.

CAPUT PRIMUM

QUÆNAM ſunt illæ partes ſive volumina? Reſp. Sunt Decretum Gratiani; Decretales Gregorij IX. Sextus Decretalium Bonifacij VIII. Clementinæ, ſive Conſtitutiones & Decretales epiſtolæ Clementis illius nominis Papæ V. qui præfuit Concilio Viennenſi: & Extravagantes, tam Joannis XXII. quàm Communes, id eſt, aliorum

Summorum Pontificum.

Quoad primam partem, ſive Decretum Gratiani, notandum quòd Gratianus non fuerit Pontifex, ſed homo privatus, profeſſione Monachus, Ordinis Sancti Benedicti, qui decretum tantùm in unum collegit, & privato ſtudio conſarcinavit, ac proinde cùm decretum fuerit collectum à privato homine, & nullam Canonis, aut Legis ferendæ poteſtatem habente, nullam juris authoritatem haberet, niſi quatenus poſtea authoritate Pontificiâ approbatum & recognitum fuerit, ut videre eſt ex epiſtolis decreto præfixis.

Notandum etiam, non omnia quæ continentur in decreto ejuſdem eſſe authoritatis, ſed eam habere ſingula, quam habent authores ex quibus deſumpta ſunt: ſic quæ deſumpta ſunt ex ſacris Paginis habent authoritatem ſacræ Scipturæ: quæ ex ſanctis Patribus, authoritatem ſanctorum Patrum, &c. Eſt enim decretum compila-

tum, & per quamdam rapſodiam coaugmentatum ex dictis ſanctorum Patrum, ex Concilis Eccleſiæ, & variis locis Juris Civilis, & ita quæ in decreto continentur, ad ſuos fontes & origines revocantur; unde ratione & pro varietate authorum ex quibus excerpta ſunt, major vel minor eſt eorum authoritas: quare non parva erat eorum imperitia, qui leges Civiles in decretum conjectas, eo ipſo putarunt canonizatas, ſive in numerum ſanctorum Canonum relatas.

Quomodo dividitur Decretum? Reſp. dividi in tres partes, quarum prima ſubdiſtinguitur in diſtinctiones quæ ſunt loco titulorum, ſuntque centum & una, quarum quælibet communiter diſtinguitur in certa capita quæ dicuntur Canones, atque etiam quivis Canon plerumque diſtinguitur per §§.

Secunda pars Decreti dividitur in cauſas quæ ſunt numero 36.

Cauſæ dividuntur in quæſtiones, quæſtiones in Canones, & hi in §§. ut ante.

Tertia pars Decreti dividitur ſimpliciter in diſtinctiones, ſicut prima, ſed ſunt quinque tantùm, quarum quælibet continet Canones aliquot ſub ſe; in hoc tamen dignoſcitur hæc tertia pars à prima, quod cùm in hac tertia parte fit citatio, adduntur ſemper vel ante, vel poſt diſtinctionem hæc verba (de conſecratione) hoc modo, *Can. revera de conſecrat. diſt.* 2. vel ſic *Can. ante viginti diſt.* 4. *de conſecrat.* In prima autem parte, omiſſis illis verbis (*de conſecrat.*) ſic fieret citatio: *Can. duos* §. *talibus diſt.* 96. *Can. Clericu-* 5. *diſt.* 46. &c. At verò in ſecunda parte decreti quæ dividitur in cauſas, ſic fit citatio, *Can. qui deſponſatam* 27. *quæſt.* 2.

Ordo Decreti talis eſt, quòd in prima parte ſive diſtinctionibus habeatur deſcriptio ſive diviſio perſonarum: in ſecunda parte, ſive in cauſis, habetur negotiorum

Digitized by Google

& controverſiarum deciſio : & in tertia parte ſive Canonibus & diſtinctionibus de Pœnitentia & Conſecratione habetur Sacramentorum adminiſtratio. Et hæc ſufficiant de prima parte.

Secundam partem Juris Canonici faciunt Decretales Gregorij IX. dicunturque illius Conſtitutiones, quia Epiſtolarum inſtar ſunt, per quas ille ſummus Pontifex judicialiter decrevit de controverſiis & rebus coram ſe motis, vel ad ſe relatis.

Dividuntur Decretales in quinque Libros, quivis Liber dividitur in titulos, quivis titulus in capitula ſive Canones, capitula dividuntur in §§. & hi interdùm in verſiculos; & ſic ſolent allegari textus in hac ſecunda parte. *Can. licet extra de elect. C. quoties extr. de pact.* &c. Ubi obiter adverte illam præpoſitionem (extra) in citatione poni ſolitam, denotare quod textus citatus ſit extra decretum, quod prius tempore fuit.

Digitized by Google

Sed qualis ordo in Decretalium libris ſervatur? Reſp. non valdè diverſum eſſe ab eo ordine qui ſervatur in Pandectis & Codice; nam ut in Digeſtis & Codice Jus Civile, ita in hac compilatione Jus Canonicum ad rationem & normam judiciorum dirigitur & accommodatur.

Tertia pars juris Canonici appellatur Sextus, ſic dictus, quaſi ſextus liber additus ad quinque libros Decretalium, & illius author fuit Bonifacius VIII. Summus Pontifex, totque continet libros, quot continent Decretales, & ſic allegatur textus in hac tertia parte, *Can. non eſt de Conſuetudine in ſexto*, &c.

Quarta pars dicitur Clementinæ, ſic dictæ, quaſi Conſtitutiones factæ à Clemente V. ſummo Pontifice, & dividuntur in quinque libros, ſicut Decretales, & ſic citatur in eis textus, *Clement. ſi una de rebus Eccleſiæ non alienan.* &c.

Quinta pars juris Canonici di-

citur Extravagantes , ſic dictæ quòd ab initio non erant inſertæ in corpore juris Canonici, ſed extra illud diſtinctis foliis impreſſæ quaſi vagabantur.

Extravagantes aliæ dicuntur particulares , ſcilicet Joannis XXII. Papæ, à quo habuerunt originem, & aliæ dicuntur Extravagantes Communes, ſic dictæ, quòd ſint univerſorum Pontificum, & ſic in iis allegatur textus : *Cap. etſi Dominici de pœnit, & remiſſionibus in communibus.* In Extravagantibus verò particularibus ſic fit citatio, *Extravag. execrabilis de præbend. & dignit. apud Ioannem.*

Sed ut juris Canonici ſtudioſus facilè citata in prædictis juris Canonici partibus inveniat, hic ordo obſervandus, quando ſcilicet citatur capitulum cum ſuo mero titulo, tunc recurrendum eſt ad tomum Decretalium, tabulam circa illum titulum conſpiciendo : quando verò citatur aliquis textus qui ſit in libro ſexto, adduntur il-

la verba, in ſexto: Si autem citatur aliquis textus cum diſtinctione numerica vel quæſtione, videndus tomus, ſive videndi tomi quibus decretum continetur, ſed circa hanc doctrinam longè latiùs me explicavi in mea œconomia ad jus Canonicum & Civile, quam nuper typis mandavi.

CAPUT II.

De Definitione Iuris Canonici, illius diuiſione, & nominis derivatione.

QUID eſt Jus Canonicum? Reſp. eſt jus illud (de poſitivo loquor) quod à ſummis Pontificibus traditum, conſtitutum, vel approbatum eſt, indeque dicitur Pontificium, quod ejuſmodi Pontifices immediatè vel mediatè, ei ſcilicet ſuam authoritatem præſtando, authores habeat, & dicitur Canonicum à Græca voce *Κανων*,

Digitized by Google

quæ Latinè regulam ſignificat, inde & jus regulare dicitur eo quod normam rectè & benè vivendi civibus præbeat, & quod diſtortum pravuumque eſt, corrigat. *Can.* 2. *diſt.* 3.

Quomodo dividitur? Reſp. Jus Canonicum aliud eſſe divinum, aliud humanum . illud quidem à Deo vel Chriſto quatenus homo ſimulque Deus in tempore conditum eſt, hoc vero ab hominibus; ejuſque obligatio ex mera hominis, aliquid præcipientis vel prohibentis, voluntate oritur.

Rurſùs jus divinũ, vel eſt ſcriptũ, vel non ſcriptum : ſcriptum intelligo quod habemus in veteri & Novo Teſtamento, cum hac tamen differentia & obſervatione, quod ea quæ veteri Teſtamento continentur, non aliter obligent, quam ſi novo, vel expreſſè, vel tacitè, repetita & approbata fuerint: præcepta enim veteris Teſtamenti, non ut divinæ legis à nobis obſervantur, ſed ut humani juris, nova ſcili-

cet ſanctione ; ſed hic obſervandum in veteri teſtamento præcepta fuiſſe triplicis generis, quædam enim fuerunt ceremonialia ſeu myſtica per quæ deſignabatur aliquid quod circa adventum Nativitatis Chriſti debebat contingere, ut videre eſt *Levit. cap.* 1. *& ſeqq.* & hæc penitùs abrogata fuerunt, ex quo Chriſtum & natum & paſſum habuimus.

Alia fuerunt præcepta judicialia inſtituta nimirum ad obſervationem judiciorum, de quibus *Exod. cap.* 1. *&* 2. *& ſeqq.*

Fuerunt etiam præcepta non nulla moralia quæ ad directionem morum, vel præcipiebant aliquid, vel prohibebant, veluti, non occides, non furaberis, &c.

Ex his duabus poſterioribus ſpeciebus præceptorum aliqua in Novo Teſtamento repetita fuerunt, & ex hoc fonte authoritatem habent & obligant, quæ autem omiſſa ſunt, non obligant: docet tamen Gregor. de Valentia Moralia

præcepta vi legis natutæ quæ in mente noſtra ſcripta eſt,adhuc hodie obligare.

Per jus verò divinum non ſcriptum intelligo jus naturale illud quod divina providentia, mentibus noſt.is indidit & ingenuit, & tale jus diſtinguitur à jure poſitivo, ut hoc mutari poſſit, etiam ſi maneant omnes eædem circumſtantiæ, cum quibus ante obligabat, non autem jus illud naturale; in eo etiam diſtinguntur, quod quæ jure naturæ prohibita ſunt; prohibita ſint, quia in ſe mala; quæ autem ſunt à jure poſitivo prohibita è contra mala ſunt, quia prohibita, & ſic patet ratio diſcriminis poſiti inter leges diuinas & humanas, *in Can. omnes diſt.* 1. quod ſcilicet leges divinæ naturales ſint eædem apud omnes; humanæ autem non, ſed aliæ atque aliæ aliis atque aliis gentibus placeant. Neceſſarium verò fuit jus humanum accedere ad legem divinam & naturalem, tanquam generaliores & indeter-

minatas, ſolumque generalia præcipientes, ut, inquit Iſidorus *in Can. facta ſunt diſt.* 4. metu eius humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia; nam ut Plato ait 2. *de Legibus*, ſi homines abſque legibus vixerint, nihil à feris atrociſſimis diſcrepabunt: & Ariſt. 1. *Politic. cap.* 2. ſicut homo ſi ſit perfectus, eſt optimum omnium animalium, ita ſi fiat alienus à lege & juſtitia, fit peſſimum omnium.

Jus Canonicum humanum dividitur etiam in ſcriptum & non ſcriptum, ad illud referuntur decreta Conciliorum, conſtitutiones ſive placita ſummorum Pontificum, & ſanctorum Patrum ſententiæ ſive dicta: ad hoc autem, ſcilicet ad Jus Canonicum non ſcriptum, referuntur conſuetudines in Eccleſia Romana receptæ, traditiones, & ſtylus curiæ Romanæ, hoc eſt, formula quâ aulæ Romanæ Curiales in reſcriptis, vel aliis negotiis expediendis utuntur, *cap.*

Digitized by Google

cum in cauſis de Sent. & rejudicat. & talis ſtylus, ſive formula, ubi jus non eſt contrarium, in deciſionibus allegari poteſt. Panorm. *ad c. ex litteris de conſtit.* ſed de illis omnibus juris humani ſcripti partibus & ſpeciebus ſigillatim dicamus pro tenore inſtitutæ brevitatis.

De Decretis Conciliorum.

NOmine Concilij intelligo congregationem Patrum ſive Prælatorum Eccleſiæ convocatorum ad tractandum de rebus Eccleſiæ & publicam illius auctoritatem concernentibus, & differt Concilium à Synodo, quia Concilium indicat conſultationem fidelium jam reſolutam, ſynodus verò ipſam congregationem quæ reſoluit.

Dividuntur Concilia in univerſalia, ſeu generalia, quę & œcumenica dicuntur; in Provincialia, & Epiſcopalia ſive Synodalia, quibus addi poſſunt Concilia Monacho-

Digitized by Google

rum ſive Religioſorum quę congregantur authoritate ſuorum prępoſitorum.

Concilia generalia ſive œcumenica ſunt illę congregationes Pręlatorum Eccleſiæ quæ fiunt authoritate ſummi Pontificis, ex toto orbe Chriſtiano; in eis enim repreſentatur univerſalis Eccleſia, per Prælatos ex vniverſo orbe convocatos, præeunte ſummo Pontifice, vel ſuo legato, ejus nomine, nam ejuſmodi Conciliorum univerſalium aggregandorum poteſtas & auctoritas eſt penes ſedem Apoſtolicam ſive ſummum Pontificem, quibus ſi intereſſe impediatur, ſpeciales legatos conſtituere ſolet, ſine enim Pontificis authoritate, non tam Concilia cenſenda ſunt, quam conciliabula ſive improbata conventicula; illa enim Concilia generalia dependent à Papa in celebrando, decidendo, & judicando.

Sed inter illa generalia Concilia, quatuor, veluti antiquiora &

magis præcipua referuntur, Nicænum ſcilicet, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, quæ quatuor Concilia, quaſi quatuor Evangelia, totam principaliter Chriſtianam fidem, velut in quadrato lapide, complectuntur.

In Concilio Nicæno ſub Pontifice maximo Silveſtro 1. ann. Chriſti 325. preſentibus & aſſiſtentibus, 318. Epiſcopis, & Imperante Conſtantino magno, duæ controverſiæ definitæ ſunt, una de die Paſchatis, ut die Dominico poſt 14. Lunam menſis Martij celebretur, altera de divinitate Chriſti & cum patre æqualitate adverſus Arrium; ibi enim damnata eſt illius blaſphemia de inæqualitate ſanctiſſimæ Trinitatis, & Ieſus-Chriſtus Filius, declaratus Homouſios, id eſt, Patri conſubſtantialis, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.

In Concilio Conſtātinopolitano ſub ſummo Pontifice Damaſo. 1.

ann. Chriſti 381. aſſiſtentibus 150. Epiſcopis, & Imperante Theodoſio ſeniore, damnatus eſt Macedonius negans divinitatem Spiritus Sancti, & ſic impie negarunt Pneumatomachi Spiritũ Sanctum Patri & Filio conglorificandum.

In Concilio Epheſino ſub Cæleſtino 1. Papa ann. Chriſti 431. & Imperante Theodoſio juniore, damnatus eſt Neſtorius etiam Conſtantinopolitanus Epiſcopus & Patriarcha, duas perſonas in Chriſto impiè aſſerens: ad fuerunt ducenti Epiſcopi, & Cyrillus Alexandrinus Romani Pontificis locum tenebat: damnata quoque eſt ejuſdem Neſtorij blaſphemia contra Beatiſſimam Virginem Mariam, eam Chriſtotocon, id eſt, Matrem Chtiſti non Theotocon, id eſt, matrem Dei impiè & pertinaciter affirmantis, ſed nefarius ille blaſphemator in Jeſum-Chriſtnm & ſanctiſſimam illius matrem, in pœnam & vindictam ſui execrabilis & deteſtandi Criminis

& Doctrinæ, linguâ vermibus corroſâ, mortuus perhibetur & damnatus.

In Concilio deniquè Chalcedonenſi ſub Leone I. Papa, ann. Chriſti 451. damnatus eſt Eutyches, & eius ſequaces pernitioſè contra naturam Chriſti errantes, & aſſerentes unam in Chriſto naturam poſt eius Incarnationem, adfuerunt & aſſiſtebant 630. Epiſcopi, & imperabat Marcianus Auguſtus.

Alia ſunt Concilia generalia quæ ductu Spiritus Sancti poſteà celebrata fuerunt, veluti Lugdunenſe ſub Innocent IV. Pap. ann. 1245. Viennenſe ſub Clem. V. ann. 1311. & Tridentinum ſub Paul III. Iulio III. & Pio IV. ſed inter diſcordantia Concilia præponitur eius ſententia, cujus antiquior & major eſt authoritas.

Sed poteſtne legatus generalis ſummi Pontificis generale Concilium indicere? Reſp. negative, quia ea quæ ſpecialiter ſummi Pontifices concedunt generali Iu-

riſdictione non transferuntur, vide *cap. niſi, & cap. translationem de offic. legat.* ubi dicitur *reſervata ſummo Pontifici mandata juriſdictione non transferri.*

Concilia Provincialia ſunt, quæ Archiepiſco ſive Metropolitano, omnes Provinciæ ſeu Primatię ſuę Epiſcopos convocante, celebrantur propter Eccleſiaſticas cauſas & altercationum ſedationes, *c. propter* 4. *diſt.* 18. in hujuſmodi autē Conciliis ſtatuta, non propriè Canones, ſed cōſtitutiones dicūtur quę verò ſtatuūtur in Conciliis generalibus dicūtur propriè Canones; hæc etiā Concilia Provincialia non habent vim generaliter definiendi, vel ſtatuendi, ſed tantum curandi, ut obſerventur alia ſtatuta: & ad ea revocari poſſunt Concilia nationalia, ſive alicujus nationis & regni, qualia fuere Concilia Toletana, Carthaginenſia, & ſimilia.

Hæc Concilia Provincialia, ſumpſerunt (ut fertur) originem à Concilio quod celebravit B. Paul. in Mileto, convocatis majoribus

Provinciæ Epheſinę, & primum Provinciale Concilium poſt Apoſtolos fuit Carthaginenſe primum, ſedente Cornelio 1. Romę ſub Cypriano Epiſcopo, fuitque celebratum ann. Domini circiter 255.

Sed an ſi agendum ſit de puniendo Metropolitano, poteſt ne per Concilium Provinciale decerni? Reſp. negative, ex Abbate, *in cap. grave nimis de præb. & dignit.*

Concilia Synodalia ſiue Epiſcopalia ſunt ea, quę convocantur Epiſcopi authoritate, dum ille prętatos ſuę Diœceſeos ex juſta cauſa convocat; & tenetur in iis ſtatuta notificare, aliàs, nec ſubditos extra Diœceſim conſtitutos, nec ignorantes adſtringunt.

Quæritur ergo an quæ ſtatuuntur in prædictis Conciliorum generibus obligent ſubditos ad obſervationem? Reſp. Affirmativè, cum hac diſtinctione & differentia, quod decreta univerſalium Conciliorum adſtringant fideles omnes, ut pote, quod omnes ſub-

diti ſint ſummo Pontifici, cujus authoritate illa convocantur & confirmantur; quæ verò ſtatuta ſunt in Conciliis Provincialibus & Synodalibus, ejus tantum Provinciæ, civitatis, vel Diœceſis, homines devinciunt, *cap.* 1. *diſt.* 18. non etiam alios fideles, niſi à ſummo Pontifice in corpus juris Pontificij adſcripta fuerint; tunc enim ex illa authoritate Pontificia vires aſſumunt, & omnes obligant, nec debent Canonibus Conciliorum univerſalium, vel Conciliorum per univerſalia receptorum adverſari, *c.* 1. *diſt.* 18. & interdùm confirmatione Sedis Apoſtolicæ indigent, *c. cum acceſſiſſent* 8. *de conſtit.*

Sunt & aliæ differentiæ inter illas tres ſpecies Conciliorum; & prima eſt, quod in Conciliis generalibus decidi poſſunt controverſiæ quæ circa fidem occurrunt; fidei enim Evangelicæ aſſerendæ cauſa convocantur: in aliis verò Conciliis non ita; in iis enim id

tantùm ſtatui poteſt, quod ſit vel ad directionem rerum, vel perſonarum, vel ad obſervationem eorum quæ quondam de fide decreta fuerunt: ſecunda differentia eſt, quòd univerſalia Concilia non niſi rarò convocentur, vel propter ſummam difficultatem quæ verſatur in congregandis Patribus & Prælatis, ex tot & tam diſſitis orbis partibus; tum ne ex eorum frequentia vileſcat eorum authoritas: Provincialia verò Concilia per ſingula triennia, & Synodalia ſive Epiſcopalia, quotannis ſive per ſingulos annos convocari & capitulari debent, ex Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2.*

Finis denique Conciliorum eſt, ut tollantur & extirpentur hæreſes, reformentur mores, ſopiantur ſchiſmata, lites & controverſiæ, & ut corrigantur abuſus, ita teſtatur Dyoniſius de Richel *in ſuo lib. de authorit. Papæ & Concil.* in hæc verba, *Concilium generale non niſi propter cauſas ſingulariter magnas & ar-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

duas, ut puta, quæ aliter congruè expediri nequeunt, congregandum celebrandúmque omnes fatentur; porrò hæ cauſæ ſunt, extirpatio hæreticæ pravitatis ac ſchiſmatis, declaratio fidei, atque editio ſymboli ejus, univerſalis reformatio Eccleſiæ in capite & membris ipſius. Et addit: *Quoniam Chriſtus promiſit Eccleſiæ, ſeu Concilio ipſam repræſentanti infallibilem directionem, & glorioſam aſſiſtentiam inceſſantem, ita quod errare non poteſt in fide, nec in iis quæ ad bonos mores pertinent*, &c.

De Conſtitutionibus ſummorum Pontificum.

EJuſmodi Conſtitutiones ſunt ea jura quæ immediatè à ſummis Pontificibus conſtituta & inducta ſunt, idque vel à ſolo ſummo Pontifice, vel Cardinalium Epiſcoporum concilio adhibito, vel ultrò, vel aliquo interpellante, *cap.* 1. *de conſt. c. generali cauſ.* 25. *quæſt.* 21. & dividuntur adinſtar pla-

Digitized by Google

citorum Principum ſæcularium in generales & perſonales, illæ omnes obligant *dict. cap.* 1. hæ ad certas tantùm perſonas referuntur, & iis quibus conceſſæ ſunt, legem tantùm imponunt, *cap. privilegia diſt.* 3. & tum privilegia dicuntur.

Utraque ſpecies conſtitutionis conſtituitur tribus modis, ſcilicet per decretum, per reſcriptum, ſive epiſtolam, & per edictum.

Decretum eſt Principis placitum, negotio pro tribunali cognito: dicitur autem fieri conſtitutio per epiſtolam ſive reſcriptum, quando Princeps abſens de re aliqua dubia interrogatus, reſcribit quid pro jure velit obſervari: Edictum denique eſt generalis conſtitutio ſuperioris, ſive Principis aliquid jubentis vel prohibentis quod pertineat ad totum ejus principatum; huc etiam refertur pragmatica ſanctio, quæ eſt ſententia ſive oraculum Principis quod ſtatuitur cauſa ventilata in auditorio, & adhibito Concilio, cùm reſpon-

Digitized by Google

detur precibus oblatis ab aliquo Corpore vel Univerſitate, propter cauſam publicam, ſive Eccleſiaſticam, ſive ſæcularem; vel breviùs, eſt lex quæ ſtatuitur à Principe, ſive ſummo Pontifice, conſilio plurium adhibito.

Cæterùm in generalibus conſtitutionibus hoc obſervandum, ut poſteriores ad priores trahantur, & è contra, declarandi vel ſupplendi cauſa, *l. non eſt novum cum duab. ſeqq. ff. de legib.* niſi inter ſe ſint contrariæ, quo caſu prior conſtitutio ſemper revocata intelligitur per poſteriorem, etiam nulla ejus mentione facta, *cap. 1. de conſtit. in 6. & L. 28. ff. de legib.* diverſum obtinet in ſtatutis & conſuetudinibus locorum; & ratio eſt, cùm ſtatuta & conſuetudines ſint facti, & in facto conſiſtant, præſumuntur ignorari, proindéque non intelligitur iis derogatum, niſi expreſſis verbis hoc ſit cautum, *textus in dict. cap. 1. de conſtitut.* ſic etiam *conſtitutiones particulares* cùm ſint

ſint facti, præſumuntur ignorari, donec notificentur.

De Reſcriptis.

QUia conſtitutionis ſpecies eſt reſcriptum, ideò hic ſe objicit occaſio differendi de reſcriptis.

Quid eſt ergo reſcriptum? Reſp. Reſcriptum in genere eſt conceſſio Principis per litteras authenticas legitimè facta, vel mandatum ſive epiſtola, per quam vel juriſdictio, vel beneficium ſive gratia alicui confertur, idque vel ab ipſo ſummo Pontifice, vel ejus Vicario, ſive motu proprio, ſive aliquo conquerente & ſupplicante, aut ſuggerente, quæ ſuggeſtio vocatur intimatio, vel inſinuatio, vel relatio.

Quomodo dividitur reſcriptum? Reſp. Dividi 1° in reſcriptum juſtitiæ, ſive ad lites, per quod juriſdictio conceditur alicui, vel mandatur aliquid circa juriſdictio-

Digitized by Google

nem, ſive juſtitiam adminiſtrandam, & reſcriptum gratię per quod conceditur aliqua gratia vel beneficium, ut cùm diſpenſatur cum aliquo de irregularitate, ut poſſit ſuſcipere ordines, vel circa impedimenta matrimonij, & ſic quando aliquid gratiosè conceditur, veluti quando Papa alicui de beneficio providet.

Dividitur 2° reſcriptum in illud quod motu proprio conceditur, quod fit cùm ſummus Pontifex ex plena ſua voluntate, nullo requirente concedit aliquid, & de hoc reſcripto traditur illa regula, quod pleniſſimam exigat interpretationem *cap. dilectus extr. de procurat.* Et circa hanc ſpeciem reſcripti traditur etiam alia regula, quòd nimirùm ſemper hæc clauſula, *ſi preces veritate nitantur*, ei inſit & intelligatur.

Dividitur 3° reſcriptum in legitimum & illegitimum, ſeu quod aliquod vitium habet, & quoniam tale vitium poteſt naſci ex duplici

cauſa, nimirùm vel ex ſubreptione, quia non fuit expreſſum & declaratum ſummo Pontifici per libellum ſupplicem quod exprimi neceſſe erat, vel obreptione cùm fuit expreſſum aliquid falſum, per quod ſummus Pontifex inductus eſt ad concedendum quod aliàs veriſimiliter non conceſſiſſet; inde factum, ut illegitimum reſcriptum aliud dicatur ſubreptitium, quando tacetur veritas; & aliud obreptitium, quando exprimitur falſitas. Utrumque autem ſine effectu eſſe ſolet, vel quia ipſo jure nullum eſt, ut certis caſibus; vel quia exceptione vitij obreptionis, vel ſubreptionis infirmatur.

Obiter autem hîc notandum ſubreptionem in uno capite ſive una parte reſcripti regulariter non vitiare reſcriptum quoad alia capita ſeparata, *c. ſi eo tempore de reſcript. in 6.* niſi ſit doloſa, tum enim vitiat in totum, *c. ſedes* 15. &c. *ex tenore* 16. *extr. eod.* cùm mendax precator ſive impetrator debeat

penitus carere impetratis, *dict. c. ſedes.* Sic etiam vitiabitur in totum ſi ſubreptio in uno capite fuerit cauſa obtinendi reſcripti, *c. conſtitutus, & ibi gloſſ. extr. reſcript.*

Nota etiam ſubreptionem tolli per clauſulam, *motus proprij*, per clauſulam *non obſtante*, per clauſulam *ex plenitudine poteſtatis*, per clauſulam *pro expreſſis habentes & ſupplentes omnes defectus*, per clauſulam, *ſi non ſit alteri jus quæſitum*; quia tum videtur reſcriptum eſſe conceſſum ſub conditione ſi alteri in jure quęſito non pręjudicetur.

Sed quare reſcripta obreptitia aut ſubreptitia adhuc ſuſtinentur, ſi ſint ad lites, potiùs quàm ſi ſint ad beneficia? Reſp. Quia reſcripta ad lites non ſunt ambitioſa, reſcripta verò ad beneficia ſecùs: unde reſcripta ad beneficium impetratum, ab eo qui aliud beneficium licet exiguum habet, nullâ mentione ejus factâ, ipſo jure, tanquàm ſubreptitium, non valet, *cap. ſi motu proprio de præb. in* 6. quod æquè

obſervandum eſt, & ſi ab alio ejus nomine fuerit impetratum, *dict. cap. ſi motu proprio.*

Sed qualiter adhuc reſcripta ſuſtinentur obreptitiâ, vel ſubreptitia ſi ſint ad lites. Reſp. Ad hoc ut judex delegatus poſſit, cauſam definire, non quidem ſecundum tenorem aut formam reſcripti, ſed ſecundum ordinem judicis.

Quænam eſt differentia inter reſcripta principis ſæcularis & reſcripta Principis Eccleſiaſtici ſive ſummi Pontificis? Reſp. Quod hæc clauſula ſi ita eſt, aut ſi preces veritate nitantur, tacitè cenſeatur ineſſe & ſub intelligatur in reſcripto Pontificis, *cap. ſuper litteris extra de reſcript.* non cenſetur tamen tacitè ineſſe reſcripto Principis ſæcularis *l. fin. Cod. de diverſ. reſcriptis* quarè exprimi debet, alioquin reſcriptum non valeret.

Sed quid ſi duo præſcripta à diverſis proferantur, utrum valebit & præferetur? Reſp. Prius, niſi poſterius mentionem prioris fa-

ciat, vel ſpeciale ſit, & prius generale, ſpecialia enim generalibus præferuntur, *cap. ſtuduiſti de officio legat. & cap. Paſtoralis §. quoniam de officio delegat.* ſic etiam poſteriora reſcripta præferuntur prioribus ſi is qui priora impetravit, iis dolo vel culpa intra annum non ſit uſus *cap. ſi autem 9. & cap. plerũque 23. de reſcript.*

Cæterum reſcriptum inter partes in negotiis ſeu rebus ſuper quibus conceduntur, jus faciunt *cap. cum dilecta 22. de reſcript. & cap. conſtitutus* 11. *de conceſſ. præb.* modo non per mendacium aut veritatis occultationem impetrata ſint *cap. 3. diſt. 25. & c. 1. & 2. diſt.* 19. quæ autem contra formam & tenorem reſcriptorum fiunt, infirmantur & viribus carent *dict. c. cum dilecta 22. verſ. dictum de reſcript.* Differt autem reſcriptum à privilegio, quod privilegium ſit contra jus; reſcriptum verò regulariter ſit ſecundum jus, & ad obſervantiam juris communis: & ideo ſecundum naturam ejus debet intelligi.

De Sententiis & dictis Sanctorum Patrum.

SEntentiæ Sanctorum Patrum, eum locum in jure Canonico obtinent, quem habent reſponſa prudentium in jure Civili: tunc ergò pro jure allegari poſſunt quoties vel incertæ fuerunt corpori Juris Canonici, vel à ſummo Pontifice approbatæ. His ceſſantibus, reverentia quidem illis debetur, non tamen neceſſariam probationem faciunt, ut pro jure legitimo valere poſſint; ratio eſt, quod nec ſanctitas, nec eruditio qualiſcumque, ſit ſufficiens ad hoc, ſed inſuper, juriſdictio requiritur; quæ plerumque Sanctis Patribus Eccleſiæ defuit. Sancti enim Patres interpretantur, ſed ſummus Pontifex definit & determinat & ſic ſcripta & Sententiæ Sanctorum Patrum,

& ſacræ paginæ interpretum Sacris Canonibus inſertę parem cum eis obtinent firmitatem : quæ verò non fuerunt inſertæ, aut à ſummo Pontifice approbatæ, poſt Pontificum conſtitutiones , & decreta Conciliorum locum tenent, *vide cap.* 1. *diſt.* 20. & etiam leges civiles eis præponuntur, *vide cap.* 1. *extr. de novi oper. nuntiat.* at verò ſummorum Pontificum conſtitutiones Decretis Conciliorum æquipollent.

De Conſuetudine & Traditionibus.

CONſuetudo eſt jus diuturnis moribus introductum, quod ſi neque bonis moribus, juri naturali , Sacris Canonibus, Decretis Conciliorum , aut ſaluti credentium non adverſetur, in rebus & juribus Eccleſiaſticis ſcriptæ conſtitutionis vigorem habet, *c. diuturni* 6. *diſt.* 12. *& c. conſuetudo* 5 *diſt.* 1.

Digitized by Google

Traditionum nomine intelligimus ea jura, quæ ab initio viva voce & ſine ſcripto à juris conditoribus, veluti per manus, ad nos pervenerunt, licet ea poſteà poſteritas ſcripto complexa ſit; ut ſunt in Sacrificio Miſſæ oculorum eleuatio ad exemplum Chriſti, & mixtio aquę cum vino tempore conſecrationis, item præceptum de jejunio quadrageſimali; illud enim ab initio ſcriptum non fuit, ſed viva voce imperatum, & idem dicendum de trina ablutione quæ fit in baptiſmate, &c. Iſtæ ſunt traditiones Apoſtolicæ quæ ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt: alię ſunt traditiones Eccleſiaſticę, ut mores & conſuetudines, quas obſervat Eccleſia conſecrando altaria, Vaſa, Calices, Templa, & veſtes quibus utitur in Sacrificio Miſſæ: alię denique ſunt traditiones divinæ, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, ut quod Spiritus à Patre &

Filio, tanquam ab uno Principio & una ſpiratione exomni æternitate proceſſerit: Et quod tres perſonæ divinæ in una ſubſtantia ſint æquales, & diſtinguantur realiter per relationes reales. Cæterum tanta eſt traditionum auctoritas ac juris ſcripti, ut conſtat ex *Can. Catholica diſt.* 11. vide Concil. Trid. *ſeſſ.* 4. vbi anathemate ferit eos, quæ predictas traditiones ſcientes & prudentes contempſerint.

CAPUT III.

De Perſonis Eccleſiaſticis.

IUs Canonicum, conſideratis hominibus ut Chriſtianis Orthodoxis, eos dividit in laïcos & clericos. Laïci ſic dicti à vocabulo Græco λάος, quod populum ſignificat, unde & populares dicuntur, ſunt illi qui poſſunt temporalia & ſecularia pertractare, uxores duce-

re, exercere artes, &c. vel dicuntur laïci à vocabulo Græco λάας, id eſt lapis, alluſione facta ad Deucalionem & Pyrrham qui ex projectis à tergo lapidibus humanum genus, quod diluvio jam perierat repararunt, cui facit illud *Metamorphoſeos* 1.

Vnde genus durum ſumus, experienſque laboris,
Et documenta damus, quâ ſimus origine nati.

Laïci etiam dicuntur Eccleſiaſtici, quamvis impropriè, quia divino Baptiſmatis munere in Eccleſia Dei admiſſi ſunt, & in Chriſtianorum albo deſcripti.

Econtrà perſonę Eccleſiaſticę propriè dictę, ſunt illę, quas utpotè divinis officiis & Eccleſiæ ritibus mancipatas, ab omni negotiorum ſęcularium ſtrepitu & turba ceſſare & abſtinere decet, ut orationi & rerum divinarum contemplationi intentius vacare poſſint; & clerici dicuntur, ſic dicti quod in ſortem Domini ſint de-

lecti, κλῆρος enim Græcè, ſortem Latinè ſignificat, undè clerici dicuntur illi qui Chriſto mancipati cum pro ſorte ſic habent, ut non debeant negotiis ſæcularibus ſe immiſcere juxta illud Pauli, *nemo militans Deo ſe immiſceat negotiis ſæcularibus*. Et clerici (inquit Innocent. III. *in ſui ordinatione, vel aſſumuntur in hæreditatem Domini, vel in eo hæreditatem conſequuntur, quare temporalibus abſtineant*; nec enim ſunt miſcenda ſacra profanis: ſic Dominus negociatores de Templo verberatos expulit.

Cleris proximi ſunt Regulares ſive Religioſi qui ſpecialem vivendi normam ad cultum divinum ſub patrocinio Divi alicujus profeſſi ſunt, & monaſteriorum anguſtiis circũſcripti, ſub unius prælati nutu, & propriis omnibus bonis ſponte exuti, & continentiam profeſſi degunt; vita enim monaſtica arctius ligat, quam ſimplex Sacerdotium.

Sed ex clericis quidam ſunt in

Sacerdotio quidam in Sacris, & quidam nec in Sacris, nec in Sacerdotio: vel ſic; clericorum aliqui dicuntur eſſe ſimpliciter in ordinibus, & alij præter ordines habent beneficia & dignitates: rurſus qui ſunt prioris generis, ſcilicet ſimpliciter in ordinibus, aut ſunt in minoribus ordinibus, quales ſũt lector, oſtiarius, exorciſta, & acolitus: aut ſunt in Sacris ſive majoribus ordinibus, quales ſunt Subdiaconus, Diaconus, Preſbiter.

Qui ſunt ſecundi generis, qui ſcilicet præter ordines habent Beneficia & dignitates, vel ſunt in dignitate, hoc eſt Beneficium habent ratione cujus ipſis juriſdictio competit non tantum quo ad forum internum, ſed etiam externum in ſubditos.

Et inter eos primus eſt ſummus Pontifex, ſequuntur Patriarchę, Conſtantinopolitanus ſcilicet, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, *c. antiqua 23. de privileg. diſt.* 22. tertio loco ſunt Epiſ-

copi ,ſic dicti quaſi ſpeculatores, ob id quod perpetuo,veluti in ſpeculo invigilare reſpicere & ſpeculari debent in vitam & mores populorum ſibi creditorum , ut nequid mali ſuo gregi accidat , *can. cleros verſ. Epiſcopus diſt.* 21.

Epiſcoporum triplex eſt ordo, quidam enim ſunt ſimpliciter Epiſcopi,alij Archiepiſcopi, qui nimirum ſub ſe habent Epiſcopos & ſuffraganeos , & alij dicuntur Primates , qui Epiſcopis , Archiepiſcopis , omnibuſque alicujus regni vel Provinciæ Prælatis prȩſunt,ut eſt in Hiſpania Archiepiſcopus Toletanus , in Gallia Lugdunenſis , Viennenſis, Bituricenſis,in Anglia Cantuarienſis, in Hibernia Archiepiſcopus Armachanus ſive Armacenſis ; in Germania, Magdeburgenſis, &c.

In Epiſcoporum quoque ordine, & ſummus Pontifex cenſetur, ſed poteſtatem cæteris habet majorem , omnes enim judicat, & à nemine judicatur,excepto Conci-

lio generali in cauſa hęreſis, *cap. mandaſtis* 10. *cauſ.* 2. *quæſt.* 5. eſt enim ſummus Pontifex ordinariorum omnium ordinarius, & Eccleſię Romanę omnes Eccleſię ſubſunt; ſaltem quoad pertinentia ad articulos fidei, unde veluti omnium Magiſtra: celſiore ſede reſidens à quoquo judicari non poteſt. Ratio autem quadrimembris ejuſmodi Epiſcoporum diviſionis jam aſſignatæ, eſt, quod Pręlati quibus regitur orbis Chriſtianus, conſiderantur aut reſpectu totius orbis, & ſic datur ſummus Pontifex; aut reſpectu majoris partis & ſic dantur Patriarchę, ſic dicti, quaſi Patrum Principes, quibus ob dignitatis apicem licet in omnibus locis vexillum crucis anteferre, prᵫterquam in prᵫſentia Papᵫ, aut Legati ejus: Metropolitanis verò id ſolum permittitur in ſuis Provinciis: Item Patriarchis permittitur de jure ab Epiſcopis & Archiepiſcopis appellationes recipere &c. Vel conſiderantur & ejuſmodi Prælati reſ-

Digitized by Google

pectu minoris partis orbis, & ſic-dantur Archiepiſcopi ſive Metropolitani, qui ſingulis Provinciis pręſident: vel reſpectu minimę partis, & ſic dantur Epiſcopi qui ſunt ſimpliciter tales, & ſingulis civitatibus cum Diœceſi præſunt.

Sed hic obiter notari velim, quod quamvis Archiepiſcopus habeat juriſdictionem in omnes ſuæ Provinciæ ſuffraganeos; in eorum tamen ſubditos, paucis articulis exceptis, poteſtatem non habere, *can. Paſtoralis* 11. *in Princ.* ubi gloſ. *de offic. ordin.* ſic Etiam Patriarcha non poteſt cognoſcere de cauſis ſubditorum Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ſibi ſubditi, niſi ad eum fuerit legitimè appellatum, aut jure alicujus conſuetudinis, vel privilegii, *can. duo ſimul* 9. *de offic. ordin.*

Omnibus autem Epiſcopis commune eſt, quod habeant ligandi ſolvendique poteſtatem: ſoli in Eccleſia Sacrum Chriſma conficiunt, Dei altaria & Eccleſias conſecrant, & pollutas repurgant, cle-

ricos ordinant, ſuſpendunt, deponunt, & delinquentes excommunicant, *can.* 1. *diſt.* 25.

Sed præter iſta omnibus Epiſcopis communia, ſummus Pontifex ſpecialia quædam habet; ille enim ſolus Concilia, eorumque ſcripta approbat, Synodum Generalem congregat, Epiſcopos, electoſque transfert, & eorum ſedes mutât; ipſos deponit, depoſitos reſtituit, & ceſſiones ab ipſis accipit; ipſe ſolus duos Epiſcopatus unit, & unum partitur: ſolus appellationes ad ſe mediis omiſſis, interpoſitas admittit, de his cognoſcit, & Sententias nulli appellationi ſubjectis, pronunciat, *cap.* 2. *de tranſlat. Epiſcop.* & *cap.* 4. *de offic. legat.*

Sed à quo eligitur ſummus Pontifex? Reſp. Eligitur ex corpore Cardinalium, Cardinales enim ſunt tanquàm Senatores ſummi Pontificis, ſeu Senatus Eccleſiæ *cap. Eccleſia cauſ.* 16 *quæſt.* 1. & ſede Pontificatus vacante Eccleſiam regunt, & eorum alij ſunt Cardi-

nales Diaconi, alij Cardinales Preſbyteri, & alij Cardinales Epiſcopi habita ratione titulorum quibus inſigniuntur: eorum numerus non eſt definitus, ſed ſummi Pontificis arbitrio, à quo eliguntur, augetur vel minuitur; eligi tamen debent ſcrutinio & conſenſu Cardinalium de viro probo, bonis moribus inſignito, juſtis natalibus orto, & ætatis 30. annorum, qui non ſit nepos ex fratre vel ſorore ſummi Pontificis vel Cardinalis, juxta Synod. Baſil. §. *fin. de num. & qual. Card. in prag. ſanct.* iſtæ ſunt perſonę Eccleſiaſticæ & Pręlati ſęculares quibus orbis Chriſtianus in Spiritualibus gubernatur, de quorum poteſtate qui vult fuſius ſcire, me videat in meo tractatu de Beneficiis & penſionibus Eccleſiaſticis à *ſectione* 16. *ad* 22.

Poſt ejuſmodi Eccleſię Pręlatos ſubſequuntur Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, Archipreſbyteri, Canonici, & ſimiles.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Vita & Honeſtate Prælatorum.

DEbent eſſe Hoſpitales, liberales, *diſt.* 42. ſobrij, prudentes, periti, *diſt.* 44. pudici & domeſticarum perſonarum immoderatam familiaritatem vitare, *diſt.* 34. *in ſum. & per tot.* debent populum cui præſunt, converſatione & innocentia pręcellere, orationi & prędicationi inſiſtere, nam pręconis Officiũ ſuſcipit, quiſquis ad Sacerdotium accedit; hinc eſt quod ſuper paſtores primos in linguarum ſpecie Spiritus Sãnctus deſcendit: debent etiam per decentiam habitus extrinſeci intrinſecam morum honeſtatem indicare, *diſt.* 40. *per tot.* diſſidentes ad pacem magis, quàm ad judicium compellere, & in corrigendis Laïcis & Clericis

Charitatem, magis quam poteſtatem exercere.

CAPUT V.

De Negligentia Prælatorum.

NEgligentia Prelati eſt omiſſio ejus, quod Prelatus de jure facere debebat ratione ſui muneris, v. g. ſi Epiſcopus ſive ordinarius non contulerit Beneficium vacans intrà ſex menſes: debent enim ex Concilio Lateranenſi Beneficia vacantia intra ſemeſtre tempus conferri: quod ſi ergo ille ad quem collatio Beneficij ſpectat, id non contulerit intra dictum tempus devoluitur collatio ad Superiorem, & ſic ſuppletur negligentia inferioris, &c.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Clericis non reſidentibus.

REſidere, hac in parte, nihil aliud eſt, quam deſervire, & reſidere perſonaliter, non eſt aliud quam perſonale debitum per ſe pręſtare, quare cum Beneficium detur propter Officium *c. fin. de reſcript. in* 6. ideò ſi Clerici Beneficium reſidentiam requirat, iſque non reſideat, eo privandus eſt: nam ſicut qui Matrimonium contrahunt, individuam vitę conſuetudinem ineunt, ſic Clerici in ſuis Beneficiis reſidere debent, ſi talia ſint quę reſidentiam requirant, cujuſmodi ſunt Beneficia curata, dignitates, perſonatus; Canonicatus, & ſemiprębendę in Eccleſiiis Cathedralibus, non obſtante conſuetudine contraria, quę ut irrationaſilis reprobatur in Concil. Trid.

Digitized by Google

de reformat. ſeſſ. 24. *cap.* 12. excuſantur tamen abſentes Clerici ex legitima cauſa, Concil. Trid. *dict. loc.* ut ſi abſuit ratione officij, vel ob negotia Capituli, aut beneficij, aut ob negotia & ſervitia Papę, vel Epiſcopi, *Can. decret. de Cler. non reſident.* vel ob negotia Regis, vel Reipublicę, Rebuff. *in concordatis, tit. de collat.* §, *ſi verò.* Vel ob peſtilentiam, & aëris intemperiem, Garcias 3. *part. cap.* 12. vel ob ęgritudinem, & debilitatem corporis, *c.* 1. *de Cler. ægrotante & debilitato.* Clerici enim ęgrotantes, vel debilitati habentur pro pręſentibus, lucrantur fructus, & diſtributiones quotidianas, *dict. c.* 1. & idem de Clericis injuſtè incarceratis, Farinac. *part.* 4. *deciſione* 124. qui etiam ſtudiorum cauſa abſunt legitimam excuſationem habent *Can. tua fraternitati, c. cum ex eo de elect. in* 6. & *c. fin. de magiſtris.* Quo capitulo ob ſtudiorum cauſam abeſſe per quinquennium permittitur, quod alij prorogant

uſque ad decennium. Ad reſidentiam etiam non tenentur in Gallia Conſiliarij ſupremarum Curiarum per Bullam Clem. VI. Excuſantur etiam à reſidentia Vicarius Generalis Epiſcopi, ejúſque Officialis, quia cenſentur intenti ſuo officio & occupationi : poteſt & Epiſcopus diſpenſare de non reſidendo cum uno Canonico, vel etiam duobus, Selva *part.* 4. *quæſt.* 11. ut ei ſerviant & adſiſtant. Et etiam cum Curione ſive Curatum habente beneficium, ad bimeſtre tempus & non ultra, juxta Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. non tenentur etiam ad reſidentiam pręſtimonia ſive pręſtimoniales portiones habentes; cùm enim pręſtimonia ex ſua inſtitutione non videantur habere ullum ſervitium annexum, pręter lectionem horarum, non videntur quoque requirere reſidentiam, Garcias *de benefic.* 3. *part. cap.* 2. & ex generali totius Eccleſię conſuetudine beneficia ſimplicia reſidentiam non re-

Digitized by Google

quirunt, quamvis ſecus de jure communi, *Can. conquerente*, & *c. inter quatuor extr. de Cler. non reſident.* adeò ut ipſe Juſtinianus in *l. generaliter ſancimus*, *Cod. Epiſc. & Cler.* ſanxerit, eos tantùm Clericos & Monachos immunitatis beneficio à cura & tutela gaudere, qui apud ſacroſanctas Eccleſias vel Monaſteria permanent, non vagantes, & qui circa divina miniſteria non ſunt deſides. Sed ut Clerici non reſidentes ſuis beneficiis priventur, ante ſententiam privationis hęc requiruntur; ſcilicet, quòd ſaltem per ſex menſes Clericus abſuerit, & poſt illud tempus à ſuperiori tribus edictis fuerit evocatus; quod illa edicta ei, vel domeſtico in domicilio, aut vicino fuerint intimata; aut in valvis Eccleſię fuerint propoſita, datis dilationibus competentibus ad comparendum, *cap. ex tua, de Cler. non reſident Clem. I. de judic.* quibus dilationibus elapſis, ſi Clericus non compareat, edicto peremptorio
poſſeſſione

poſſeſſione ſui beneficij privari poteſt, & creſcente contumaciâ, omni jure privatur, *dict. Can. ex tua.* Nec enim deſertor militię ſtipendia meretur, *l. non dicas Cod. de re milit. lib.* 10. nec etiam ſufficit abſenti ſine legitima cauſa Vicarium relinquere & inſtituere: nam per ſe, non per Vicarium debet ſervire, *Can. nonnulli, de Cler. non reſident. Can. extirpandæ, §. quia verò, de præbend. & Can. 5. cauſ.* 21. *quæſt.* 2. ubi dicitur, quòd Eccleſia conductitiis Pręsbyteris committi non debeat, ſed habere ſuum proprium Sacerdotem. Unde hîc ceſſat illa juris regula, quâ dicitur quod quis poſſit per alium facere, quod per ſeipſum poteſt; quia patitur exceptionem, quando electa eſt opera & induſtria perſonę, ut in collatione beneficiorum ſemper electa intelligitur, *c. is cui de offic. judic. de leg. in* 6. nec enim opera unius eſt opera alterius, *l. ſi non in ſortem, §. libertus ff. de condict. indeb.* ſed circa hanc doctrinam &

Digitized by Google

pœnam Prelatorum & Clericorum non reſidentium, vide *Conſtit. Aurelianenſ. art.* 14. *& ſeqq. & Conſtit. Aurelianenſ. art.* 5. necnon Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* illud enim Concilium circa reſidentiam multa innovavit.

CAPUT VII.

De Clericis peregrinis.

CLericus peregrinus dicitur ille qui non ſubeſt juriſdictioni ordinantis, *tot. diſt.* 71. quarè talis Clericus ordinari prohibetur, quia Epiſcopus nō debet immittere falcē in meſſē alienā: & quia Clerici peregrini habentur ſuſpecti, ſolent enim eſſe criminoſi, infames, ſuſpenſi, excommunicati, fugitivi, &c. unde meritò à non ſuo Epiſcopo ordinari prohibentur, niſi litteras commendatitias & dimiſſorias adferant à ſuo, quorum

Digitized by Google

exemplar deſcriptum eſt *diſt.* 73. Pari modo peregrinus Sacerdos, qui omninò ignotus eſt, admitti non debet ab Epiſcopo, ut publicè rem divinam faciat & celebret, niſi per literas vel teſtes probet ſe ab Epiſcopo ſuo ad ordines promotum eſſe, *c.* 3. *extr. de Cler. peregrin. non ordinand. c.* 2. *&* 3. *de temporib. ordinat. in* 6. Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 16. *in fine.* Et quod dictum eſt de Clerico peregrino à non ſuo Epiſcopo ordinando, idem dicendum de Laïcis, reſpectu Epiſcopi ordinantis, cui non ſubſunt, ut probat *c. ult. de temporib. ordinat. in* 6. ubi ait Pontifex, *Nullus Epiſcopus abſque ſuperioris licentia homini alienæ Diœceſis Clericalem præſumat conferre tonſuram.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De juribus quæ Clericos ſequuntur.

HÆc ſunt: Debent enim habere tonſuram in capite; non debent comam nutrire, nec barbam promiſſam geſtare, *c. Clerici 15. & c. ſi quis 4. de vita & honeſtate Cleric.* & in hoc aſſimilantur Imperatoribus Romanis, qui omnes mentum radebant; à quo tamen inſtituto defecit primò Hadrianus Imperator, qui barbam nutrivit, ut vulnera naturalia & nævos quos habebat in facie, occultaret. Imperator quoque Gommodus metu tonſorum nuſquam raſit barbam aut comam.

Sed quæres quid ſignificat illa barbæ & pilorum raſio in Clericis? Reſp. Significare rerum ſæcularium & ſuperfluarum contem-

Digitized by Google

ptum, & impietatis reſcindendæ ſymbolum. Debent quoque Clerici eſſe bonis moribus, habitu & inceſſu modeſti, & ſic veſtibus, nec calceamentis decorum quærant, *c. Cler. fin. diſt* 41. item Clericorum vita debet eſſe caſta, ſobria à vino & crapula aliena; quarè ebrietati non ſint dediti, nec alios ad bibendum incitent, nec bibendi vel edendi cauſa tabernas, niſi peregrinentur, intrent, *Can. Clerici* 15. *de vita & honeſtate Cleric.* Nec in foro, nec in nundinis verſari debent, nec aleis ludere, nec aleatoribus intereſſe, *dict. c. Clerici* 15. ſilvaticas venationes cum canibus non exerceant, *c. Omnibus de Cler. venat.* nec mercaturam, tabellionatum, aut chirurgiam quæ inuſtionem vel inciſionem inducit; converſationes & confabulationes mulierum, maximè ſuſpectarum, evitent; nec concubinas habeant, *Can. præter hoc, diſt.* 32. ſed extra matrimonium caſtitatem, *C. Diaconus diſt.* 27. vel in

Digitized by Google

matrimonio ſi ſint Orientales, ſervent ut & modum in cibo & potu, *diſt. 35. per tot.* decet enim Clericos, ut ſicut in ſortem Domini ſunt vocati, & à populo officiis & ordinibus diviſi; ita & ſumma ope nitantur, vitæ honeſtate cæteris præcellere.

CAPUT IX.

De privilegiis Clericorum.

Clerici vitæ honeſtatem (ut debent) ſervantes, variis privilegiis gaudent, ut conſtat ex *tot. tit. extr. de privileg. Cleric.*

Eximuntur enim 1. à juriſdictione Laïcorum, *tot. tit. extr. de foro compet.* quod procedit tam quoad actiones civiles, quàm criminales, *cap. fin. eod. tit.* 2. eximuntur à muneribus perſonalibus, unde nec tutelam, nec curam, nec officium Decurionatus, nec alia hujuſmo-

di ſuſcipere compelluntur, *cap. Clericis de immunit. Eccleſ. in 6.* non etiam excubias agere, vel cuſtodiam murorum, niſi quando graviſſima eſt neceſſitas, & præſens periculum hoc exigit: Item Clerici Laïcis fidelitatis juramentum præſtare non tenentur, niſi ab eis temporalia habeant, *c. nimis 30. de jurejur.* nec de propriis rebus quas ſecum non negotiandi cauſa deferunt, quadagia, pedagia, aut vectigalia ſolvunt, *c. non minus 4. de immun. Eccleſ.* & *cap. quanquam de cenſib. in 6.*

Ex quibus patet Clericos habere privilegia tam circa ſuas perſonas, res, & actiones; in eos enim juriſdictionem tantùm habent Eccleſiaſtici, non Laïci, *c. Eccleſia Sanct. Mariæ 10. de conſtit.* & *c. decernimus de judic.* niſi ipſis à ſummo Pontifice in Clericos certi loci ea ſit conceſſa, *C. præter hoc §. verum, diſt. 32.* vel Clerici ſint aſſaſſini, aut eorum fautores, in habitu ſæculari ſint inventi delinquentes, *C. 1.*

de reformat. ſeſſ. 24. *cap.* 12. excuſantur tamen abſentes Clerici ex legitima cauſa, Concil. Trid. *dict. loc.* ut ſi abfuit ratione officij, vel ob negotia Capituli, aut beneficij, aut ob negotia & ſervitia Papę, vel Epiſcopi, *Can. decret. de Cler. non reſident.* vel ob negotia Regis, vel Reipublicę, Rebuff. *in concordatis, tit. de collat.* §, *ſi verò.* Vel ob peſtilentiam, & aëris intemperiem, Garcias 3. *part. cap.* 12. vel ob ęgritudinem, & debilitatem corporis, *c.* 1. *de Cler. ægrotante & debilitato.* Clerici enim ęgrotantes, vel debilitati habentur pro pręſentibus, lucrantur fructus, & diſtributiones quotidianas, *dict. c.* 1. & idem de Clericis injuſtè incarceratis, Farinac. *part.* 4. *deciſione* 124. qui etiam ſtudiorum cauſa abſunt legitimam excuſationem habent *Can. tuæ fraternitati, c. cum ex eo de elect. in* 6. & *c. fin. de magiſtris.* Quo capitulo ob ſtudiorum cauſam abeſſe per quinquennium permittitur, quod alij prorogant

uſque ad decennium. Ad reſidentiam etiam non tenentur in Gallia Conſiliarij ſupremarum Curiarum per Bullam Clem. VI. Excuſantur etiam à reſidentia Vicarius Generalis Epiſcopi, ejúſque Officialis, quia cenſentur intenti ſuo officio & occupationi : poteſt & Epiſcopus diſpenſare de non reſidendo cum uno Canonico, vel etiam duobus, Selva *part.* 4. *quæſt.* 11. ut ei ſerviant & adſiſtant. Et etiam cum Curione ſive Curatum habente beneficium, ad bimeſtre tempus & non ultra, juxta Concil. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. non tenentur etiam ad reſidentiam pręſtimonia ſive pręſtimoniales portiones habentes ; cùm enim pręſtimonia ex ſua inſtitutione non videantur habere ullum ſervitium annexum, pręter lectionem horarum, non videntur quoque requirere reſidentiam, Garcias *de benefic.* 3. *part. cap.* 2. & ex generali totius Eccleſię conſuetudine beneficia ſimplicia reſidentiam non re-

quirunt, quamvis ſecus de jure communi, *Can. conquerente*, & *c. inter quatuor extr. de Cler. non reſident.* adeò ut ipſe Juſtinianus in *l. generaliter ſancimus*, *Cod. Epiſc. & Cler.* ſanxerit, eos tantùm Clericos & Monachos immunitatis beneficio à cura & tutela gaudere, qui apud ſacroſanctas Eccleſias vel Monaſteria permanent, non vagantes, & qui circa divina miniſteria non ſunt deſides. Sed ut Clerici non reſidentes ſuis beneficiis priventur, ante ſententiam privationis hęc requiruntur; ſcilicet, quòd ſaltem per ſex menſes Clericus abſuerit, & poſt illud tempus à ſuperiori tribus edictis fuerit evocatus; quod illa edicta ei, vel domeſtico in domicilio, aut vicino fuerint intimata; aut in valvis Eccleſię fuerint propoſita, datis dilationibus competentibus ad comparendum, *cap. ex tua, de Cler. non reſident Clem. I. de judic.* quibus dilationibus elapſis, ſi Clericus non compareat, edicto peremptorio

poſſeſſione

poſſeſſione ſui beneficij privari poteſt, & creſcente contumaciâ, omni jure privatur, *dict. Can. ex tua.* Nec enim deſertor militię ſtipendia meretur, *l. non dicas Cod. de re milit. lib.* 10. nec etiam ſufficit abſenti ſine legitima cauſa Vicarium relinquere & inſtituere: nam per ſe, non per Vicarium debet ſervire, *Can. nonnulli, de Cler. non reſident. Can. extirpandæ, §. quia verò, de præbend. & Can.* 5. *cauſ.* 21. *quæſt.* 2. ubi dicitur, quòd Eccleſia conductitiis Pręsbyteris committi non debeat, ſed habere ſuum proprium Sacerdotem. Unde hîc ceſſat illa juris regula, quâ dicitur quod quis poſſit per alium facere, quod per ſeipſum poteſt; quia patitur exceptionem, quando electa eſt opera & induſtria perſonę, ut in collatione beneficiorum ſemper electa intelligitur, *c. is cui de offic. judic. de leg. in* 6. nec enim opera unius eſt opera alterius, *l. ſi non in ſortem, §. libertus ff. de condict. indeb.* ſed circa hanc doctrinam &

Digitized by Google

pœnam Prelatorum & Clericorum non reſidentium, vide *Conſtit. Aurelianenſ. art.* 14. *& ſeqq. & Conſtit. Aurelianenſ. art.* 5. necnon Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* illud enim Concilium circa reſidentiam multa innovavit.

CAPUT VII.

De Clericis peregrinis.

CLericus peregrinus dicitur ille qui non ſubeſt juriſdictioni ordinantis, *tot. diſt.* 71. quarè talis Clericus ordinari prohibetur, quia Epiſcopus nō debet immittere falcē in meſſē alienā: & quia Clerici peregrini habentur ſuſpecti, ſolent enim eſſe criminoſi, infames, ſuſpenſi, excommunicati, fugitivi, &c. unde meritò à non ſuo Epiſcopo ordinari prohibentur, niſi litteras commendatitias & dimiſſorias adferant à ſuo, quorum

exemplar deſcriptum eſt *diſt. 73.* Pari modo peregrinus Sacerdos, qui omninò ignotus eſt, admitti non debet ab Epiſcopo, ut publicè rem divinam faciat & celebret, niſi per literas vel teſtes probet ſe ab Epiſcopo ſuo ad ordines promotum eſſe, *c. 3. extr. de Cler. peregrin. non ordinand. c. 2. & 3. de temporib. ordinat. in 6.* Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 16. in fine.* Et quod dictum eſt de Clerico peregrino à non ſuo Epiſcopo ordinando, idem dicendum de Laïcis, reſpectu Epiſcopi ordinantis, cui non ſubſunt, ut probat *c. ult. de temporib. ordinat. in 6.* ubi ait Pontifex, *Nullus Epiſcopus abſque ſuperioris licentia homini alienæ Diœceſis Clericalem præſumat conferre tonſuram.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De juribus quæ Clericos ſequuntur.

HÆc ſunt: Debent enim habere tonſuram in capite; non debent comam nutrire, nec barbam promiſſam geſtare, *c. Clerici 15. & c. ſi quis 4. de vita & honeſtate Cleric.* & in hoc aſſimilantur Imperatoribus Romanis, qui omnes mentum radebant; à quo tamen inſtituto defecit primò Hadrianus Imperator, qui barbam nutrivit, ut vulnera naturalia & nævos quos habebat in facie, occultaret. Imperator quoque Gommodus metu tonſorum nuſquam raſit barbam aut comam.

Sed quæres quid ſignificat illa barbæ & pilorum raſio in Clericis? Reſp. Significare rerum ſæcularium & ſuperfluarum contem-

Digitized by Google

ptum, & impietatis reſcindendæ ſymbolum. Debent quoque Clerici eſſe bonis moribus, habitu & inceſſu modeſti, & ſic veſtibus, nec calceamentis decorum quærant, *c. Cler. fin. diſt* 41. item Clericorum vita debet eſſe caſta, ſobria à vino & crapula aliena; quarè ebrietati non ſint dediti, nec alios ad bibendum incitent, nec bibendi vel edendi cauſa tabernas, niſi peregrinentur, intrent, *Can. Clerici* 15. *de vita & honeſtate Cleric.* Nec in foro, nec in nundinis verſari debent, nec aleis ludere, nec aleatoribus intereſſe, *dict. c. Clerici* 15. ſilvaticas venationes cum canibus non exerceant, *c. Omnibus de Cler. venat.* nec mercaturam, tabellionatum, aut chirurgiam quæ inuſtionem vel inciſionem inducit; converſationes & confabulationes mulierum, maximè ſuſpectarum, evitent; nec concubinas habeant, *Can. præter hoc, diſt.* 32. ſed extra matrimonium caſtitatem, *C. Diaconus diſt.* 27. vel in

Digitized by Google

matrimonio ſi ſint Orientales, ſervent ut & modum in cibo & potu, *diſt.* 35. *per tot.* decet enim Clericos, ut ſicut in ſortem Domini ſunt vocati, & à populo officiis & ordinibus diviſi; ita & ſumma ope nitantur, vitæ honeſtate cæteris præcellere.

CAPUT IX.

De privilegiis Clericorum.

CLerici vitæ honeſtatem (ut debent) ſervantes, variis privilegiis gaudent, ut conſtat ex *tot. tit. extr. de privileg. Cleric.*

Eximuntur enim 1. à juriſdictione Laïcorum, *tot. tit. extr. de foro compet.* quod procedit tam quoad actiones civiles, quàm criminales, *cap. fin. eod. tit.* 2. eximuntur à muneribus perſonalibus, unde nec tutelam, nec curam, nec officium Decurionatus, nec alia hujuſmo-

Digitized by Google

di ſuſcipere compelluntur, *cap. Clericis de immunit. Eccleſ. in 6.* non etiam excubias agere, vel cuſtodiam murorum, niſi quando graviſſima eſt neceſſitas, & præſens periculum hoc exigit: Item Clerici Laïcis fidelitatis juramentum præſtare non tenentur, niſi ab eis temporalia habeant, *c. nimis 30. de jurejur.* nec de propriis rebus quas ſecum non negotiandi cauſa deferunt, quadagia, pedagia, aut vectigalia ſolvunt, *c. non minus 4. de immun. Eccleſ.* & *cap. quanquam de cenſib. in 6.*

Ex quibus patet Clericos habere privilegia tam circa ſuas perſonas, res, & actiones; in eos enim juriſdictionem tantùm habent Eccleſiaſtici, non Laïci, *c. Eccleſia Sanct. Mariæ 10. de conſtit.* & *c. decernimus de judic.* niſi ipſis à ſummo Pontifice in Clericos certi loci ea ſit conceſſa, *C. præter hoc §. verum, diſt. 32.* vel Clerici ſint aſſaſſini, aut eorum fautores, in habitu ſæculari ſint inventi delinquentes, *C. 1.*

de Apoſtat. vel ſint degradati, *C. 2. de pœn. in 6.* aut aliter Clericatus privilegiis ſpoliati, *Clem. 5. de vit. & honeſt. Cleric.* &c.

CAPUT X.

De peculio Clericorum.

EX bonis quæ ad Clericos ſpectant, quædam ſunt patrimonialia, & alia Clericalia: Sub bonis patrimonialibus continentur ea quæ vel ſucceſſionis jure, vel ex alia cauſa proveniunt ad Clericos, quàm ab Eccleſia, vel occaſione Clericalis officij & miniſterij.

Clericalia è contra ſunt ea bona quæ vel ex reditibus beneficiorum, vel oblationibus factis Eccleſiæ, vel ex Clericali miniſterio ſunt acquiſita.

De bonis primi generis, ſcilicet patrimonialibus, Clericus ad libi-

tum diſponere poteſt, prout ſecundum leges Civiles ei permittitur, vide *cap. quia non 9. extr. de teſtam.* de aliis autem, ſi Canonum ſanctiones perpendamus, Clericus poſt congruam ſuſtentationem, ſi quid ſuperſit, in pios uſus uti debet, aut relinquere Eccleſiæ, ut unde profecta ſunt, eo revertantur vide *cap. 1. extr. de teſtam.* obtinuit tamen conſuetudine inveterata, ut etiam de his teſtari liceat, & ad hæc ſuccedatur ab inteſtato.

Quod autem dixi licere Clerico de ſuis bonis patrimonialibus ad libitum diſponere aut teſtari, hoc non trahendum ad Religioſos paupertatem, obedientiam & caſtitatem profeſſos, *cap. 2. extr. de teſtam.* & *c. non dicatis* 11. *cauſ.* 12. *quæſt.* 1. etiam ſi ſint Abbates, quia qui Monaſterium ingrediuntur ſe, & ſua Deo & Monaſterio, dedicant, *can. quia ingredientibus* 19. *quæſt.* 3. ſecus dicendum de Eremitis *Can. Perlatum* §. *econtra ead. cauſ. & quæſt.* quià proprium interdum habent,

Digitized by Google

eſt *cap.* 1. *extr. de teſtam.* contra quam tamen pręſumptionem admittitur probatio, *Can. ſint manifeſta cauſ.* 12. *q.* 1. Quod ſi omnia defuncti Clerici ità ſint confuſi, ut quid patrimoniale, vel ab Eccleſia ſit, ſecerni non poſſit; fit eorum diviſio in quatuor partes: & una pars Eccleſię, altera Epiſcopo, tertia pauperibus, & quarta parentibus aſſignatur; *Can. Sancto* 2. *de ſucceſſ. ab inteſtato*: cęterum in Beneficia & alia bona Eccleſiaſtica nullo conſanguinitatis jure ſucceditur, *c.* 7. *Apoſtolica* 8. *q.* 1. *& cap.* 1. *de præbend.* ſed circa dictam Doctrinam, vide quid diſponat. *cap. fin.* 2. *q.* 5. & *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 1.

CAPUT XI.

De Electione, Poſtulatione, & Nominatione.

QUià iſtis potiſſimum modis Eccleſiaſtici & Clerici ad dignitates & prelaturas promoventur, ideò de iis hic aliquid perſtringendum.

Quid eſt ergo electio? Reſp. eſt perſonę idoneę ad prelaturam Eccleſiaſticam Canonicæ facta vocatio. Per perſonam verò idoneam, intellige eam quę non laborat aliquo defectu ſive impedimento Canonico. Qui autem jus eligendi habent, ſunt ad unum citandi ut electioni interſint, quod ſi citatio vel in unius perſona fuerit omiſſa, irrita redditur Electio. Sępè namquè reſcriptum eſt hac in re magis unius obeſſe contemptum, quàm

multorum contradictionem : poteſt tamen non citatus cum advenerit ratificare electionem, *Can.28. & c. 55. extr. de elect.*

Quot modis fit electio? Reſp. tribus modis, per ſcrutinium ſcilicet, per compromiſſum, & per inſpirationem veram, vel quaſi veram.

Per ſcrutinium fit electio, cum præſentibus omnibus qui debent & commodè poſſunt adeſſe ſingulorum vota in ſecreto recipiuntur & exquiruntur, veluti à tribus qui ſcrutatores vocantur quia ſic eligentium vota ſcrutantur.

Per compromiſſum fit electio quandò propter metum diſcordiæ, vel aliam cauſam illis qui jus eligendi habent in aliquot perſonas idoneas vice omnium eligendi poteſtas transfunditur, & in eas compromittunt, ut qui ab illis electus fuerit, perinde habeatur ac ſi ex toto Collegio ſive Capitulo electus fuerit compromittere enim hic idem eſt, ac conſentire,

Digitized by Google

unde omnes compromittimus, idem eſt ac omnes admittimus, undè vel uno repugnante, cæteri compromittere nequeunt, ex illa regula, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari: illi verò in quos promittitur, dicuntur arbitri, qui ſecundum pręſcriptam formam procedere debent, vide *cap. cauſam & c. in cauſis* 30. *extr. de elect.*

Per veram inſpirationem divinam fieri dicitur electio, quæ fit à Deo optimo maximo miraculoſè revelante: per quaſi autem inſpirationem divinam electio dicitur fieri, quandò electores ſeu qui habent eligendi poteſtatem nullo tractatu prævio habito, omnes in unum repentè conſentiunt; quaſi Divini Spiritus impulſu moti, non prece, aut pretio, Quarè hæc electio, ut valeat, debet carere omni labe ſimoniæ, conſpirationis, conjurationis, & requiſitionis aut conſenſus extra Capitulum habiti, vide *cap. qui propter* 42. *extr. de elect.*

Quid eſt poſtulatio? Reſp. eſt

concorsCapituli petitio,ut quis ad Prælaturam Eccleſiaſticam promoveatur, qui ob aliquod impedimentum de jure eligi non poteſt. Veluti ſi agatur de eo in Epiſcopum aſſumendo, qui nondũ eſt 30. annorum vel qui ſit Laïcus aut natalibus læſus , vel ſi Religionem non profeſſus expoſcatur Abbas, &c. concors autem Capituli petitio eſt, ut fiat vel ab omnibus habentibus jus eligendi , vel à majori & ſaniori eorum parte, ut ſcilicet ex tribus partibus, duæ in eam conveniant , *cap. poſtulationem* ubi Abb. & alij *extr. de poſtulat.* & ratio eſt quia poſtulatio gratioſè quodammodò à Collegio fieri dicitur, *Can. bonæ memoriæ* 1. *extr. de poſtulat.* Congruum autem non eſt tot collegis ingratis alios Collegij benignitatem velle impartiri , invitoſquè ad gratiam faciendam compellere.

Sed quid ſi poſtulatus concurrat cum electo , quiſnam ex iis præferendus ? Reſp. Electus,& ratio eſt,

quia Electio nititur jure & tribuit Electo jus ad rem; poſtulatio verò nititur mera gratia Superioris; poteſt enim Superior eam non admittere, nec tribuit ullum jus poſtulato; non enim ex poſtulatione, ſed ex admiſſione Superioris poſtulato jus quæritur, Abb. poſt Innoc. in *dict. cap. bonæ memoriæ.* At verò ſi numerus poſtulantium duplò major fuerit numero eligentium, tunc poſtulatus Electo præferetur.

Cæterum in Epiſcopum electus vel poſtulatus electioni aut poſtulationi de ſe factæ, ſi eam acceptet, conſenſum ſuum accommodare debet intra menſem ex Gregoriana conſtitutione in Concilio Lugdunenſi & poſteà petere debet confirmationem à Superiore, & ante confirmationem non poteſt ſe ingerere negotiis Eccleſiæ, nec electo obediendum eſt, niſi literis confirmationis prius oſtenſis.

Poſt confirmationem petenda & expedienda eſt conſecratio quæ

fædus conjugij ſpiritualis, inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod electione fuerat initiatum & confirmatione ratificatum conſummat, *c. licet* 4. *de tranſlat. Epiſc.* neceſſe enim eſt non tantum eſſe confirmatum, ſed & conſecratum, *dict. c. licet.*

Sed poſt confirmationem electus in Epiſcopum quænam exercere poteſt, & quænam poſt conſecrationem? Reſp. poſt confirmationem exercere poteſt ea duntaxat quæ ſunt juriſdictionis, tam temporalis, quam Spiritualis in ſubditos, puta poteſtatem judicandi, excommunicandi, corrigendi, juramenta à vaſſallis accipiendi, item confirmandi, inveſtiendi, Beneficia conferendi, & ſi quæ ſint his ſimilia, vide *cap. tranſmiſſam* 15. *in fin.* ubi & gloſ. *extr. de elect.* at per conſecrationem acquiruntur quæ ſunt ordinis; ut Clericorum ordinatio & actualis depoſitio, Chriſmatis confectio, Eccleſiarum & altarium conſecratio, &c. *dict. cap. tranſmiſſam.*

Digitized by Google

Sed circa electionem & poſtulationem diutiùs, non immoror, quod exiguus videatur hodiè electionis uſus: partim quod omnes Eccleſiæ Cathedrales & Metropolitanæ reſervatæ ſunt diſpoſitioni ſedis Apoſtolicę, per ſecundam regulam Cancellariæ; partim quia in pleriſque regnis Reges ex indulto ſummi Pontificis nominant perſonas ſibi probatas, non tantum ad Epiſcopatus, ſed etiam ad omnes primas dignitates, ſęculares & regulares, & ſuper hujuſmodi perſonis nominatis fingitur electionis proceſſus. Sic hodiè in Gallia ceſſant electio, poſtulatio, & Collegij ſive Capituli nominatio; ſolus enim Rex ad Prælaturas ſui regni nominat, §. I. *de reg. ad Pralat. nominat. in Concord.*

Dixi per nominationem etiam promoveri Clericos ad dignitates: nominatio autem alia eſt ſimplex, alia ſolemnis: ſimplex eſt ea quę competit ei qui Eccleſiam condidit, dotavit, vel fundavit, & is jus

habet nominandi Clericum ut Eccleſię pręficiatur : ſolemnis nominatio eſt quandò jus nominandi & inſtituendi aliquem in dignitatem & Beneficium Eccleſiaſticum competit.

CAPUT XII.

De Authoritate, Receptione & uſu Pallij.

PAllium eſt ornamentum quoddam de corpore D. Petri ſumptum Paſtoralis Beneficij & Officij plenitudinem conferens & deſignans, competitquè tantum Patriarchis, Archiepiſcopis & Metropolitanis, non autem Epiſcopis, niſi ex privilegio, vide *Can. penult. de præſumpt.* Dicitur de corpore D. Petri, hoc eſt, de altari D. Petri, quià ſcilicet pallia benedicuntur & conſecrantur à Papa ſuper altare D.

Petri, ſub quo altari corpus D. Petri, ſepultum eſt.

Pallij receptio nullo modo differenda eſt, aut etiam ejus petitio & ſine eo Epiſcoporum conſecratio minimè permittitur, illud perſonam non tranſit, nec accommodari poteſt, & quiſq; cum ſuo pallio ſepeliendus eſt, *C*. 2. *de auct. & uſu pall.* & *C. nemo Clericus* 40. *de conſecr. diſt.* 1.

Solus ſummus Pontifex ubique, dum miſſarum ſolemnia celebrat; reliqui, nec ſemper, nec ubique, ſed certis, id eſt ſolemnibus diebus, in Provincię ſuę Eccleſiiis pallio uti poſſunt, *c*. 1. 4. *& penult. de auct. & uſu pall.* pallium ejuſmodi humeros pectuſque more Sacerdotalis ſtolę ambit, ante pectus pendens, cruces nigras intextas habens alia ornamenta ſupertegens.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De Renuntiatione, Tranſlatione, & Depoſitione ſive Degradatione.

VIſis modis quibus Prælati promoventur, & conjugium ſpirituale inter eos & Eccleſiam contrahitur, non abs re erit hic videre modos, quibus removentur, & tale conjugium rurſus ſolvitur: ſicut enim electione & poſtulatione initiatur, confirmatione ratificatur, & conſecratione conſummatur, ſic etiam diſſoluitur, renuntiatione, tranſlatione, & depoſitione ſive degradatione, de quibus aliquid perſtringendum.

Quid eſt ergo renunciatio? Reſp. eſt rei ſive juris proprij libera & ſpontanea remiſſio, ex certis cauſis & cum auctoritate Superioris

facta. Iuſtæ autem renuntiandi çauſæ & ob quas renuntiatio recipi debet ſunt conſcientia criminis propter quod officij executio poſt peractam pœnitentiam impeditur, veluti eſt ſimonia, debilitas etiam corporis per quam impotens redditur prælatus ad Paſtorale Officium exequendum, juſtam præbet renuntiandi cauſam: idem operatur & magnus defectus ſcientiæ, ut ſi non didicerit ea quæ ad Officium ſuum pertinent; etſi enim in Paſtore deſiderandæ ſit eminens ſcientia, quia ars artium eſt regimen animarum, mediocris tamen tolerari poteſt, quia imperfectionem ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio Charitatis: item irregularitas, ut ſi ſit bigamus, tribuit renuntiandi cauſam, ut & malitia plebis, ſi nimirum tam duræ cervicis ſit, ut ampliùs ab eo proficere non poſſit, &c. At vero gratia laboris fugiendi non poteſt renunciari, ſed qui ſemel cedendi licentiam im-

Digitized by Google

petravit ad renuntiandum, poteſt compelli. Tandem permiſſu, & in manus ejus debet fieri renuntiatio, ad quem ejuſmodi beneficium cui renuntiatur, conferendi, confirmandi, & inſtituendi poteſtas pertinet, *Can. non oportet 7. quæſt. 1. can. quod in dubiis extr. de renuntiat. Rota deciſ.* 352.

Quotuplex eſt renuntiatio? Reſp. duplex, tacita ſcilicet & expreſſa: Tacita fit, cùm beneficium habetur pro derelicto ab eo qui poſſidebat, *Cap. ex parte de Cler. non reſident.* vel cùm quis accepit beneficium quod eſt incompatibile cũ alio quod antea habuit, & quod idcircò tenere non poteſt, &c. Expreſſa autem renuntiatio fit, cùm renuntiatur per verba expreſſa & explicita beneficio; quod fit duobus modis, purè ſcilicet & conditionaliter: Pura & ſimplex renuntiatio fit coram ordinario collatore, ſine pacto, conditione, vel die, alioquin hæc ſimoniam redolerent in beneficiis con-

Digitized by Google

ferendis: Conditionalis autem renuntiatio fit, vel in favorem alicujus, & non aliàs, vel aliter, vel cum reſervatione penſionis, & non aliàs, vel aliter, vel cum regreſſu, vel ex cauſa permutationis, & non aliàs; vel aliter, &c.

Quid eſt tranſlatio? Reſp. Eſt tranſitus ſive tranſitio ab una Eccleſia ad aliam majorem, authoritate ſuperioris, vide *Cap. in cauſis* 30. *in fin. de elect.* & *C. mutationes* 35. *cauſ.* 7. *quæſt.* 1. dico majorem, quia ad minorem non fit tranſlatio, *Can. legitimus, diſt.* 93. *in fin.* debet etiam fieri cum authoritate Prælari ſuperioris, & is debet eſſe ſummus Pontifex, ſi agatur de tranſlatione Epiſcopi, *Can.* 2. *de translat. Epiſ.* Epiſcopus enim poſtquam confirmatus & conſecratus eſt, non poteſt propriã Eccleſiam deſerere, & ad aliam ſe transferre propria authoritate, *c.* 2. 3. *& ult. extr. de translat. Epiſc.* adeò ut ſi contra fecerit, utraque ſcilicet propria, quam habuit, & aliena quam

quam ambiit, privandus ſit, ut nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis etiam quos per avaritiam concupivit, *Can. ult. extr. de translat. Epiſc.* Addo quod ſicut vir non debet adulterare uxorem ſuam, ita nec Epiſcopus debet temerè relinquere Eccleſiam ſuam, ut alteri ſe conjungat, quamvis à populo fuerit attractus. Cæterùm introducta eſt tranſlatio vel propter utilitatem, quia veriſimile Prælatum ſive Epiſcopum magis in alia Eccleſia profecturum, ſic D. Petrus ex Eccleſia Antiochena ſe Romam tranſtulit, ut ibi fructuoſiùs proficere poſſet, & ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic fieret caput ſanctitatis & religionis, ubi gentilium Princeps habitabat, ibi ſederet & moraretur princeps Eccleſiæ: vel propter neceſſitatem, quia non poteſt Prælatus in Eccleſia in qua reſidet ob perſecutionem vel metum hoſtilem officio ſuo fungi, quo caſu, neceſſitate ceſſante, ad

Digitized by Google

priorem Eccleſiam debet redire, *dict. Can. mutationes* 35.

Quid eſt depoſitio, ſeu degradatio? Reſp. Eſt de gradu dejectio, ad exemplum & ſimilitudinem ejus qui militiam deſeruit armatam, cui tam militaris ordo, quàm etiam inſignia auferuntur, vide *cap. 2. §. actualis, de pœnis in* 6. Degradatio duplex eſt, una verbalis, quando per eos qui authoritatem habent, adſiſtente certo Epiſcoporum numero, ſi Epiſcopus degradandus, depoſitionis, ſive degradationis ſententia fertur: altera dicitur actualis, quando non ſolùm fertur ſententia, ſed etiam veſtes & inſignia auferuntur *dict. cap.* 2. §. *verbalis.* Et tandem degradatus traditur Curiæ ſæculari: quod ſi ſe immiſceat ſacris ſemel degradatus, excommunicandus eſt, & ex Canone Apoſtolorum ab Eccleſia abſcindendus.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Majoritate & Obedientia.

VT de perſonis Eccleſiaſticis (de quibus hactenus dictum) abſolvam, hîc pro coronide ſubjicio, eas eſſe diverſi ordinis; aliæ enim ſunt majores, & aliæ minores: Majores ut minoribus debent dilectionem, ita minores debent majoribus reverentiam, & quandoque etiam obedientiam, *cap. quod ſuper* 9. *de majorit. & obed.* & *c. non oportet* 15. *diſt.* 93.

Sed quid intelligis hic per majoritatem? Reſp. Eſt prærogativa, quâ quis cæteris paribus, vel inferioribus, dignior, majorique honore eſt afficiendus, *c.* 1. *extr. de major. & obed.* ejúſque multæ ſunt cauſæ, nempè ordo, poteſtas, tempus ordinationis, dignitas & prærogativa ordinantis, ſic ordinatus

Digitized by Google

à ſuperiore, inter alios ejuſdem ordinis magis eſt honorandus, *cap. per tuas extr. de majorit. & obed.*

Quid etiam hîc intelligis per obedientiam illam quam dixiſti interdùm etiam deberi majoribus à minoribus Clericis? Intelligo ſubjectionem, quam inferior Clericus ſuperiori, juxta juris & ſtatuti normam, vel manu data, vel juramento præſtito promittit, *cap. dilecti filij* 13. *& cap. cùm in Eccleſiis* 10. *extr. de major. & obed.*

CAPUT XV.

De rebus Eccleſiaſticis, & earum diviſione.

QUemadmodum jus Civile verſatur circa perſonas, res, & actiones, ita etiam verſatur Jus Canonicum: Et ſicut de jure Civili res multifariàm dividuntur,

Digitized by Google

ſic etiam dividuntur de Jure Canonico : aut enim ſunt ſpirituales quæ ſpiritui inſerviunt, atque animæ cauſa inſtitutæ ſunt, ut Sacramenta, Altaria, &c. Aut temporales, quæ non ſolùm animæ, ſed etiam corporis gratiâ inſtitutæ ſunt, ut ſunt prædia Eccleſiaſtica, domus, fructus decimales, &c. Et ſpiritualium rurſus quædam ſunt incorporales, quæ nimirum tangi non poſſunt, aut ſenſibus humanis percipi, ut ſunt virtutes, dona Dei; & ea quæ in jure conſiſtunt, ut beneficia, jus patronatus, decimarum exactio, Canonica portio, immunitas: quædam corporales, quæ tangi & ſenſu corporeo percipi poſſunt, ut res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, & Sacramenta novæ legis, de quibus non ſolùm Theologi, ſed & Canoniſtæ tractant : Ego etiam de iis pauca dicam.

Quid eſt ergo Sacramentum? R. Eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ ad noſtram juſtificationem

Digitized by Google

divinitùs inſtitutum : vel (definiente Auguſtino) Sacramenta ſunt inviſibilis gratiæ viſibiles formæ , *c. Sacrificium 32. diſt. 2 de Conſecrat.* Conſtant enim elemento , hoc eſt , quicquid ſub viſibili materia inviſibilem gratiam continet, & verbo ; ſunt enim verba quæ Sacramenti efficaciam exprimunt.

Quot ſunt Sacramenta ? Reſp. Septem , Baptiſmus ſcilicet , Confirmatio , Pœnitentia , Euchariſtia , Extrema Unctio , Ordo , & Matrimonium. Ex iſtis 2. quædam ſunt neceſſaria , quæ nempè ſine interitu ſalutis æternæ omitti non poſſunt , ut Baptiſmus , Confirmatio , Euchariſtia , Pœnitentia , Extrema Unctio ; alia ſunt voluntaria quæ ſine periculo æternæ ſalutis quilibet poteſt pro libitu accipere vel omittere , ut Ordo ſacer , & Matrimonium.

Neceſſàriorum rurſus quędam deſerviunt ad ingreſſum in Eccleſia , ut Baptiſmus : quędam ad progreſſum , ut Confirmatio , Pœni-

rentia, Euchariſtia : quædam ad egreſſum, ut Extrema Unctio, quæ dicitur Sacramentum exeuntium; imò quoad ſtatum Eccleſiæ univerſum, omnia Sacramenta ſunt neceſſaria : Baptiſmus tanquam Sacramentum intrantium; Confirmatio ad robur pugnantium; Euchariſtia ad viaticum ſaluberrimum progredientium; Pœnitentia redeuntium & reſipiſcentium; Extrema Unctio ex hoc ſæculo exeuntium; Ordo, divinis deſervientium, *c. Cler. diſt.* 21. Matrimonium, generantium, *c.* 10. *omne* 27. *quæſt.* 2.

Item ex Sacramentis quædam caracterem imprimunt, & ideò iterari non poſſunt, ut Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo ſacer : & quædam non imprimunt caracterem, & talia iterari poſſunt, ut reliqua, ſcilicet Euchariſtia, Matrimonium, Extrema unctio, & Pœnitentia non ſolemnis, *c. omnis* 12. *de Pœnit* Eſt autem caracter hac in parte ſignum quoddam ſpiri-

Digitized by Google

tuale & indelebile in anima.

Non Eccleſia, ſed Chriſtus inſtituit Sacramenta, quæ tamen dicuntur Eccleſiæ, quia illa miniſtrat, & per ea ſanctificatur; eſt enim Eccleſia ſacrorum munerum diſpenſatrix.

Sed quæres an malus Miniſter, veluti Hæreticus, validè ea miniſtrare poſſit? Reſp. affirmativè, quia miniſtri Sacramentorum ſolùm habent nudum miniſterium; decet tamen eos eſſe inculpatos, veluti enim per lapideos canales & areolas aqua transfunditur, & Solis radij per loca fœdiſſima tranſeuntes, nullâ contactus commaculatione contaminantur; ſic Sacramenta nullâ Miniſtri fœditate conſpurcantur; habent enim efficaciam à Spiritu ſancto, non à Miniſtro qui ea præbet, cujus malitiâ inquinari nequeunt, *Can. non nocet* 89. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. unde collata ab Hęretico, vel Simoniaco, ſi obſervata ſit Eccleſiaſtica forma, virtute ſuâ non privantur, *c. ſecun-*

dum 18. *diſt.* 19. potiſſimum quod ad caracterem, non quod ad executionem pertinet, *c.* 108. *ſi qui à Simoniacis*, *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. Si verò ea forma non ſit obſervata, omni virtute carent, *c. hi qui* 51. §. *ſed notandum*, *cauſ.* 1. *q.* 1. Poteſtas enim ſpiritualis ſine fide exerceri poteſt, ſed non ſine intentione Eccleſię. Cæterùm Sacramentorum ejuſmodi miniſtri legitimi ſunt, illi qui parochiis præfecti ſunt, ubi degunt & habitant illi quibus miniſtranda ſunt, non alij jure generali, *Can. interdicimus* 10. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1.

Qui confirmant & ordinant, debent eſſe Epiſcopi, qui Baptiſmum, Euchariſtiam, & Extremam unctionem adhibent, Pœnitentiam & Matrimonium benedicunt, debent eſſe Presbyteri, Hoſtienſ. *in ſum. de Sacr. non iterand.* §. *quis poſſit conferre.* Et hęc de Sacramentis in genere dicta ſufficiant; nunc de ſingulis breviter aliquid videamus; & primùm de Baptiſ-

mo , qui reliquis omnibus ianua eſt, gloſ. *in c. 2. de conſecrat. diſt.* 1.

De Baptiſmo.

QUid eſt ergò Baptiſmus? Reſp. eſt ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa verborum forma, interiorem animæ ablutionem deſignat & operatur: delet enim non tantum labem origine contractam, ſed & propria voluntate ſuſceptam, *c. regenerante* 136. ubi gloſſ. *de conſecr. diſt.* 4. unde dicitur Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. Dicitur per aquam quia hoc Sacramentum (puta baptiſmus fluminis) non confertur, niſi per aquam, vel teſte ipſo Chriſto *ad Ioan. his verbis. Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, &c. Unde hujus Sacramenti ſubſtantia conſiſtit in verbo & elemento, adeò ut is in quo non ſolum utrumque, ſed eorum alterum omiſſum eſt, baptiſmum fluminis vere non habet,

C. penult. extr. de baptiſm.

Sed an debet talis aqua eſſe vera & realis? Reſp. Affirmativè, unde excluditur aqua fictitia: veluti roſacea, muſcata, ſaliva, & alius quiſlibet liquor ad confectionem hujus Sacramenti, *dict. cap. penult. & ſecundum Concil. Florent.* an autem aqua vera & realis, frigida ſit, vel calida, nihil intereſt.

Forma hujus Sacramenti & verba ex Chriſti inſtituto, *Math.* 28. *Ioan.* 6. hæc ſunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti.* Ubi per pronomen, te, innuitur debere intercedere diſtinctionem inter baptizantem & baptizatum, cum nemo ſe ipſum baptizare poſſit, *cap. debitum extr. de baptiſm.* licet in mortis articulo conſtitutus, quamvis ſi ſtatim deceſſerit, ſalvus fiat, non propter fidei Sacramentum, ſed Sacramenti fidem, *dict. cap. debitum*; ad ſimilitudinem enim carnalis generationis, debet eſſe diſtinctio inter gignentem & genitum: fides tamen Sacramenti

(ut jam dixi) ſupplet Sacramenti fidem unde de Judæo immergendo & dicendo, Ego me baptizo, &c. Reſponſum eſt, ipſum denuò baptizandum : quod ſi continuo deceſſiſſet , protinùs ad patriam evolaſſet, non propter fidei Sacramentum , ſed propter Sacramenti fidem.

Sed quoad formam & verba baptiſmi, quæri poteſt an error in Syllabarum pronunciatione admiſſus, vel per ignorantiam recti ſermonis , aut per linguæ impedimentum , officiat baptiſmi veritati? Reſp. negativè , & ità à Zacharia Papa reſcriptum eſt, vide *c. retulerunt* 86. *de conſecr. diſt.* 4.

Quotuplex eſt baptiſmus? Reſp. Triplex baptiſmus ſcilicet fluminis, id eſt, aquæ, de quo prædicta intelligenda : baptiſmus flaminis, quãdo quis per Spiritum Sanctum mundatur , dum fidem ſuam coram perſecutore confitetur , & dum juſto errore ductus, credit ſe fuiſſe baptizatum : Tertius dicitur

baptiſmus ſanguinis, cumquis fidei teſtimonium per ſanguinem confitetur,& animam cum ſanguine ob Chriſtum effudit, priuſquàm batizari poſſet. Qualis latronis in Cruce, & Sanctorum Innocentium fuiſſe perhibetur.

Sic baptiſmo flaminis, Apoſtolos & Diſcipulos fuiſſe batizatos, refert Cyrillus Hieroſolymitanus, ſed Tertullianus *lib. de baptiſmo cap.* 13. tradit eos fuiſſe baptizatos baptiſmo fluminis, vide *c. quando* 147. & *c. ſeqq de conſecr. diſt.* 4.

Cæterum ex iſtis tribus ſpeciebus baptiſmi, baptiſmus fluminis veram naturam baptiſmi, reliqui duo effectum duntaxat habent: votum enim & Martyrium vicem baptiſmi ſupplent, cum baptiſmi virtus & efficacia, non tam ablutione corporis, quam fide cordis contineatur: unde extat reſcriptum Innoc. III. de Presbytero non baptizato, qui credens probabiliter ſe eſſe baptizatum, cum non eſſet, ab hac luce deceſſerat. Hùc

ſpectat illud Auguſtini. *Baptiſmus inviſibiliter monſtratur, quem non contemptus Religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit*, vide *cap.2.extr. de Præſbit. non baptiza.* & *c.baptiſmi vicem de conſecrat. diſt. 4.*

Cura baptizandi ad ſolos Sacerdotes ſpectat, & Sacerdos in baptizando negligens, deponendus eſt *c. quicumque Presbyter 22. de conſecr. diſt.4.*& baptizari debet in Eccleſia per proprios Sacerdotes, non in Abbatia, aut Monaſteriis,ubi baptiſteria eſſe prohibentur;nec etiam in privatis ædibus juxta Concil. Viennenſe, niſi ob magnam nobilitatem vel ob extremam neceſſitatem; quâ etiam urgente, quilibet etiam laïcus,Hæreticus, Paganus, Judæus, nec non pater qui baptizandum generavit, baptizare poteſt, dummodò debita materia, forma, & intentione utantur *c. ſecundum 8. diſt* 19. & baptizati ab hæreticis, Schiſmaticis, Paganis, vel aliis facinoroſis, non ſunt denuo baptizandi: tamen ex inſtitutione

patrum ex ejuſmodi perſonis baptizati,cum ad Eccleſiam redierint, unctione Chriſmatis, aut impoſitione manus vel profeſſione fidei, ad ſinum matris Eccleſiæ revocantur.

Tandem baptizari poſſunt & ſolent parvuli jam nati, baptizantur in fide parentum & Eccleſiæ nec enim debet eſſe minor virtus baptiſmi, quam circumciſionis, in cujus locum baptiſmus eſt inſtitutus circumciſio autem conferebatur & parvulis & adultis, ergo debet & baptiſmus qui circumciſione generalior eſt,cum tam maſculi, quàm fæminæ baptizentur. Sed parvuli non per uſum, ſed per habitum fidei quem in baptiſmate ſuſcipiunt,credere dicuntur: muti etiam & ſurdi, & ægrotantes baptizari poſſunt, *can. parvuli* 74. *cum ſeq. de conſecr. diſt.* 4. ſi quidem tamen pro parvulis ægris, mutis,ſurdis, cum pro ſe reſpondere nequeant;alij profiteantur & reſpondeant; *dict. c. parvuli* 74.

Dormientes quoque & amentes, ſi ante ſomnum vel amentiam, propoſitum baptizandi habuerint, baptizari poſſunt, quia in eis eadem durare voluntas intelligitur; tum enim Sacramentalis operatio caracterem imprimit, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, vide *Can. majores* 3. §. *item queritur extr. de baptiſm.*

De Sacramento Confirmationis.

COnfirmatio eſt Sacramentum quo Epiſcopus chriſmate conſecrato inungit frontem baptizati ſub præſcripta verborum forma ad audaciter nomen Dei confitendum: hoc enim Sacramentum operatur augmentum gratiæ, & ſicut Spiritus Sanctus in ſacro fonte tribuit plenitudinem ad innocentiam, ita & in hoc Sacramento augmentum præſtat gratiæ, & ſoli Epiſcopi, nonobſtante quacumque conſuetudine hoc conferunt Sacramentum, cum manum impoſuiſſe præter Apoſtolos, quorum

hodie vicem ſuſtinent Epiſcopi, nulli alij legantur: & ſic hujus Sacramenti miniſter eſt Epiſcopus, non ſimplex Sacerdos, niſi ex diſpenſatione ſummi Pontificis extra ordinem,& fieri poteſt omni tempore, ſolet tamen fieri in Penticoſte & à jejuno, jejunis, confeſſis, & ſeptemnium excedentibus, excipe infirmos & in mortis diſcrimine poſitos *c. vt Epiſcopi* 7. & *c. jejuni de conſecrat. diſt.* 5. Chriſma autem eſt confectio ex oleo Olivarum, quod nitorem conſcientiæ ſignificat, & balſamo conſecrato odorem bonæ famæ deſignante.

Forma ſive verba confirmandi hæc ſunt. *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Huic Sacramento (ſicut & baptiſmo) patrini adeſſe debent, ſed alij quàm qui fuere in baptiſmo; niſi neceſſitas urgeat *c. in Catechiſmo* 110. *de conſecr. diſt.* 4. ſed patrini non debent eſſe non baptizati, non confirmati, nec poſſunt etiam parentes

eſſe patrini propriorum filiorum; *c. non licet* 103. *de conſecr. diſt.* 4. nec alienorum , Abbates, Monachi, Moniales, aliæve Religioſæ perſonæ *dict. Can. non licet.*

Cæterum hoc Sacramentum & Sacramentum baptiſmi, ità conjuncta ſunt , ut ab invicem, niſi morte præveniente, à Chriſtiano nullatenus ſeparari, & unum ſine alterò ritè perfici non poſſit, quod intellige ab adulto, qui hoc Sacramentum contemnens , moraliter peccat. pueris autem morientibus ſufficit baptiſmus , & certè hujus Sacramenti neceſſitas, ex illo Melchiadis Papæ liquet; quamvis (inquit ille) *continuò tranſituris ſufficiant regenerationis Beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia.* Per illud enim homo accipit Spiritum Sanctum adverſus impetus dæmonum, & aliorum, *c. Spiritus Sanctus* 2. & *c. noviſſime* 5. *de conſecr. diſt.* 5.

De Euchariſtia.

HOc Sacramentum continet ſub ſpeciebus panis & vini, vel aterius eorum, verum corpus & ſanguinem Chriſti, *Can. nos autem* 41. *cum ſeq. de conſecr. diſt.* 2. eſt enim participatio corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, vi illorum verborum, *hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus, C. multi* 84. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. cōtinetque tria à ſe invicem diſcreta ſeu diſtincta, formam ſcilicet viſibilem panis & vini, veritatem carnis & ſanguinis, & virtutem ſpiritualem.

Euchariſtia quandòque viaticum dicitur, quatenus nimirum viam præbet perveniendi ad futuram Dei fruitionē in patria cæleſti; dicitur & Græcè Sacra Synaxis, Latinè communio, quatenus per eam communicamur Chriſto, & ad invicem unimur; in quantum autem Dominica Paſſio per hoc Sacramentum offertur, dicitur Sa-

crificium, vel Miſſa.

Fit hoc Sacramentum ex ſimila, id eſt, pura farina tritici, eaque azymo, & vino vitis aquâ mixto, quæ ſpecies vi verborum Sacramentalium in Corpus & Sanguinem Chriſti transſubſtantiantur, *Can. quis Corpus*, *Can. panis eſt* 55. *& Can. revera* 69. *de conſecr. diſt.* 3. in Calice autem ex conſuetudine Eccleſiæ plus vini quam aquæ poni debet, ut declaretur hypoſtaſis duarum naturarum, divinæ ſcilicet & humanæ in Chriſto, vide *c. in Calicem* 83. *de conſecr. diſt.* 2.

Euchariſtia pro infirmis ſemper debet eſſe parata, & omnibus utriuſque ſexus exhibenda dummodò ætatis ſint legitimæ, quæ judicatur quando advenit judicium diſtinguendi & dijudicandi hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini ab alio cibo quotidiano; ſed Laïci ſumunt Euchariſtiam ſub ſpecie panis, & Sacerdotes eam ſumunt ſub utraque panis & vini mixta aquâ, vid. *Can. literas*

Digitized by Google

14. *de celebr. Miſſ.* qui autem eam ſumit, ſi ebrietate vel voracitate eam evomat, graviſſimè punitur, ſecundum ſtatum & qualitatem perſonæ: qui verò infirmitate id fecit, ſeptem tantum diebus pænitentiam agere debet, vide *Can. ſi per ebrietatem* 28. *de conſecr. diſt.* 2. Cæterū ſacri viatici ſuſceptio cuilibet ſemel in anno & in Feſto Paſchatis, injungitur, licet in Eccleſię cunabulis frequentior erat, & hoc intellige de ſęcularibus, nam Monachis & monialibus injungitur ſingulis quibuſque menſibus, vide Concil. Trid. 20. *ſeſſ.* 25.

Sacerdotes autem quotidiè hodiè pro populo ſacrificare debent, ſed ſemel tantum; quoniam enim quotidiè labimur, ideò etiam Chriſtus pro nobis myſticè immolatur, non tamen pluries, niſi ex magna cauſa, vel in Nativitate Domini; ſatis enim fælix eſt qui ſemel in die celebrat, & ſacrum viaticum ſalutiferè ſumit, vide *Can. ſufficit de conſecr.* 1. *& Can. conſuluiſti* 2. *de ce-*

Digitized by Google

lebr. Miſſ. In die autem Dominicæ Nativitatis Sacerdos tres Miſſas celebrat, priorem media nocte, alteram in aurora, & tertiam hora ſexta.

Ut autem ſalutiferè ſuſcipiatur, neceſſe eſt ut ſuſcipientes priùs peccata confiteantur,& injunctam impleant pœnitentiam, & ut ſint jejuni, ſi excipias infirmos, *c. Presbyter* 93. *de conſecr. diſt.* 2.& morientibus, ſi pœniteant, non denegandum, etiamſi excommunicati ſint, dummodo ſatisfecerint, *c. tanta* 24. *diſt.* 86. aliàs excommunicati, & interdicti communicare prohibentur, item ſcenici & hiſtriones, raptores rerum Eccleſiæ, nauſeam & vomitum patientes, nocte heſterna ex nimia crapula, vel cogitatione immundâ polluti, notoriè impœnitentes, & qui publicè ſceleſtiſſimè deliquerunt, *c. in actione* 24. *de pœnit. diſt.* 1. præter autem ejuſmodi perſonas, & ſi quæ aliæ ſint expreſsè communicare prohibitæ, Sacer-

dos quempiam ad hoc Sacramentum accedentem repellere non poteſt, etiamſi ſciat eum indignè accedere propter ſcandalum, vide *cap. 2. extr. de offic. judic. ordin.* & *cap. non prohibeat, de conſecr. diſt.* 2.

Sed quinam conficiunt hoc Sacramentum? Reſp. Sacerdotes, qui non ſunt irregulares, interdicti, ſuſpenſi, excommunicati, ſchiſmatici, notorij peccatores, degradati; niſi tales hoc in debita materia, cum debita intentione & forma fecerint, *dict. Can. multi* 84. *cauſ.* 1. *quæſt.* 1. Sacerdos enim in peccato mortali conſtitutus, quoad ſeipſum eſt ſuſpenſus, non quoad alios, cùm non à collatione, ſed à participatione, quæ in perceptione conſiſtit, removeatur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PEr hoc Sacramentum in peccatum lapſi Deo reſtituuntur & reconciliantur; unde Pœniten-

Digitized by Google

tia ſecunda poſt naufragium tabula dicitur, fuitque inſtituta ad finem, ad quem Baptiſmus; eáque & Confirmatio ſe habent ad Baptiſmum, ut ſe habet ſcapha ad navem: fit autem Pœnitentia per ejurationem delictorum adverſus Dei vel Eccleſiæ præcepta commiſſorum; quę ejuratio contritione cordis, oris confeſſione, operis ſatisfactione, & Sacerdotis abſolutione concurrentibus, peccatorum operatur remiſſionem, vide *can. perfecta* 48. *de pœniten. diſtinct.* 1.

Sed quid eſt Contritio, & quid Confeſſio? Reſp. Contritio eſt dolor pro peccatis voluntariè ſumptus cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, ſive interna afflictio, & peccati commiſſi deteſtatio cum dolore & pudore, *Can. quem pœnitet* 88. *de pœnit. diſt.* 1. Confeſſio verò eſt peccati proprij per os proprium detectio, ſive Canonica coram proprio Sacerdote facta declaratio, vel ſecundùm Auguſtinum,

ſtinum, eſt per quam morbus latens ſpe venię aperitur. Sed linguâ cordis, non carnis confiteri quis debet, *Can. qualis debeat* 4. *in fin.* & ibi Gloſſ. *cauſ.* 30. *quæſt.* 5. poteſt & ſcripto, qui præſens eſt, non qui abſens, confiteri, *Can. quem pœnitet.* 83. *diſt.* 1. *de pœnit.*

Sed cui confitendum? Reſp. Proprio Sacerdoti ſive Parocho, *Can. Sacerdos* 2. §. *fin. de pœnit. diſt.*6. non alteri, niſi cum ejus, vel Epiſcopi licentia, vel ſi quis confiteatur fratribus generalem poteſtatem confeſſiones audiendi habentibus, aliter ab alieno Sacerdote, quacunque ſuffragante conſuetudine, nec abſolvi, nec ligari poteſt.

Sed Contritio & Confeſſio ſine ſatisfactione ſunt parùm, quæ nihil aliud eſt, quàm quædam injuriæ illatæ compenſatio; & ſatisfacit peccator, cùm pœnam impoſitam factis exequitur, *Can. faciliùs,* 32. *de pœnit. diſt.* 3. ſatisfactione autem peractâ, fit delinquentis &

Digitized by Google

Eccleſiæ reconciliatio, *Can. qui gerit 3. & ſeq. de pænit. diſt. 3.*

Cæterùm ſatisfactio Confeſſione diſponitur, ex Confeſſione Pœnitentia naſcitur, quæ eſt vindicta in ſe, quod dolet commiſiſſe, puniens: ex pœnitentia autem, Dei mitigatio oritur. Tertull. *lib. de pænit.* facit & illud Cypriani, *contriti cordis holocauſtum non patitur repulſam*, & nulla hora *ſera eſt ei, cui compunctio ſtricta occurrit.* Sed quomodo punitur Sacerdos Confeſſionem revelans, ſive peccata commiſſa prodens? Reſp. In perpetuum Monaſterium ad pœnitentiam perpetuam agendam debere detrudi & concludi, cum Sacerdotalis officij depoſitione, *Can. omnis utriuſque* 12. *de pænit. diſt.* 1. Qui autem propoſitum confitendi habuit, poteſt abſolvi, ſi ſævitiâ morbi non poſſit confiteri; ſed non debet Sacerdos abſolvere de caſibus reſervatis Papæ, vel Epiſcopo, ut de enormi percuſſione Clerici, combuſtione vel fractione Eccle-

ſiæ, inſecutione Cardinalis, vel Epiſcopi, vel habitione rei cum Moniali, &c. vide *Clem.* 1. §. *quibus verſ. nec etiam de privileg.*

Sed in Confeſſione quænam ſunt aperienda peccata? Reſp. Omnia mortalia, & ſingula; venialia autem citra culpam quis poteſt reticere, Gloſſ. *in dict. cap. omnis utriuſque* 12. *de pænit. diſt.* 1. Ea enim variis aliis modis expiari poſſunt, veluti Orationis Dominicæ recitatione, aquæ benedictæ adſperſione, Euchariſtiæ devotâ ſumptione, jejuniis, eleemoſynis, Epiſcopali benedictione, devotâ pectoris percuſſione, Extremâ-unctione, &c.

De Extrema-Vnctione.

HOc Sacramentum dicitur Sacramentum exeuntium, quo nimirùm graviter ægroti oleo conſecrato inunguntur à Presbytero Parocho in certis partibus, ſub præſcripta verborum forma, ut

origo peccati : ut ſunt oculi, pro peccato viſus; aures, propter auditum; nares, ob odoratum, os, propter guſtum ; manus, propter tactum, pedes, propter motum; inungendi etiam renes, ſed honeſtatis ratio poſtulare videtur in fæminis, ut renes non inungantur, Bellar. *de Extrema Vnctione cap.* 1.

Sed duplex eſt Vnctio, una externa, quâ corpus : altera interna, quâ cor inungitur : Vnctio externa eſt Sacramentum : res Sacramenti eſt Vnctio interna, quę peccatorum remiſſione & virtutum auctione perficitur, Gloſ. *ad dict. Can. Preſbyteros*, eſtque ſpiritualis & inviſibilis, externa verò eſt materialis & viſibilis. Cæterum Extrema hæc Vnctio, delicta, ſi quę ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animum alleviat & confirmat, *Can. unic. de Sacra Vnct.*

Digitized by Google

De Ordine.

ORdo eſt Sacramentum & ſignaculum quoddam Eccleſię quo quibuſdam rebus & ceremoniis tribuitur ordinato poteſtas Spiritualis conficiendi Euchariſtię Sacramentum, vel adminiſtrandi in Ordine ad illud. Et talis poteſtas vel eſt Ordinis, vel juriſdictionis; ſub illa cadit verbi Divini miniſterium, adminiſtratio Sacramentorum, Eccleſiarum ordinatio ad ædificationem, &c. ſub poteſtate autem juriſdictionis, continetur poteſtas excommunicandi, ſuſpendendi, pænitentes abſolvendi, peccata retinendi, &c.

Sed quot ſunt ordines? Reſp. Septem eſſe ſecundum Theologos, nempè quatuor minores, puta Lectoratum, Oſtiariatum, Acolytatum, & Exorciſtatum, & tres majores ſive ſacros, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, & Preſbyteratum, dicunturque ſacri, quia

circà res ſacras verſantur. Canoniſtæ verò ponunt & enumerant novem ordines; ſupponunt enim Clericalem ordinem pro baſi & fundamento aliorum ordinum, deinde aliis omnibus adiiciunt Epiſcopalem ordinem. Ratio autem hujus diverſitatis inter Theologos & Canoniſtas, illa eſt; quod Canoniſtę conſiderant Eccleſiam militantem cum relatione ad Eccleſiam triumphantem, & quia in triumphante ſunt novem ordines Angelorum qui perpetuò Deo accinunt, ita etiam in militante novem conſtituunt ordines ad eundem finem: Theologi autem conſiderant ordines, quatenus diriguntur ad poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti, & ex habitudine ad Sacrificium divinum & confectionem Euchariſtię, unde meritò Epiſcopatum non faciunt diſtinctum ordinem à Presbyteratu, quandoquidem ſimplex Sacerdos ęquè magnam habeat poteſtatem in ordine ad confectionem Eu-

chariſtię, ac Epiſcopus: prætereà Clericatum ſive primam tonſuram non ponunt tanquàm ordinem, quia non habet ullum certum officium annexum, nec per eam datur poteſtas alicujus miniſterij Eccleſiaſtici, ſed tantum eſt pręparatio & potius diſpoſitio quędam ad ordines ſive ſtatum Eccleſiaſticum, quam ordo, ſed Canoniſtę conſiderant ordines pro ut ſignificant, ſive ut per eos confertur poteſtas non ſolum [ordinata] ad Sacrificium divinum ſed etiam ad conferenda quędam Sacramenta, ordinis puta, & confirmationis, & ad alias quaſdam ſacras actiones exercendas v. g. ad conſecrandum alterum in Epiſcopum, ad conſecrandas Eccleſias, &c. Et ſic Epiſcopatum faciunt diſtinctum ordinem à Presbyteratu, quandoquidem ſimplex Sacerdos non habeat talem poteſtatem, qualem habet Epiſcopus. Sic ratiocinantur hac in parte inter ſe Theologi & Canoniſtę, ſed com-

muniter ſeptem ordines numerantur ſecundum Theologos.

Sed hic obiter adverte ex omnibus ordinibus unum tantum Sacramentum conſtitui; non autem ſingulos ordines ſeparatim Sacramentum eſſe.

Quis poteſt ordines conferre? Reſp. Epiſcopus & qui eo eſt Superior, nempè Archiepiſcopus & Pontifex: Abbatibus etiam quibuſdam ſingulari jure conceſſum eſt, ut primam tonſuram & lectoratum Monachis ſui Monaſterij conferre poſſint, modò ſint Abbates Preſbyteri ab Epiſcopo conſecrati & manus impoſitionem acceperint, *cap. cum contingat extr. de ætate ordinand.* vide Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de reformat.* aliis ergò, quam Epiſcopalem ordinem habentibus non licet alios ordines conferre.

Sed quid dicendum de Epiſcopo Epiſcopatui renunciante? Reſp. ex Alexandro III. ad Archiepiſcopum Toletanum hęc Doctrina habetur; ſi nimirum loco tantum

renuntiavit talis Epiſcopus, poterit rogatus ordines conferre; ſed ſi renuntiavit loco & dignitati ſimul, ordines à tali uſque ad Diaconatum ſuſcepti, in illis quis deſervire poterit & ſi ſit idoneus poterit ad majores promoveri; ſed ſi Sacros ab eo ordines quis ſuſceperit, & ſcienter, quia ſe indignum fecit, officii executionem non habebit; ſi autem ignoranter, niſi ſit ignorantia craſſa & ſupina, diſcretus Pontifex diſpenſare poterit.

Quibus conferri poſſunt ordines? Reſp. maſculis, baptizatis, & nō impeditis ex aliqua cauſa. Dixi, maſculis, quia fęminę excluduntur ab omni ordine, *Can. mulieres diſt.* 52. ſic etiam mulieres, & ſi Sanctimoniales, ſacra vaſa, vel ſacratas pallas tangere non debent. Dixi, baptizatis, quia baptiſmus ſemper præſupponitur aliis Sacramentis, tanquam fundamentum & ianua: dixi, non impeditis, quia multę cauſæ ſunt propter quas impeditur aliquis ſuſcipere ordines, inter quas cauſas preter ſexū mu-

liebrem & defectum baptiſmi iſtæ numerantur 1. cauſa eſt ſervitus, *cap. 1. & 2. de ſervis non ordinand.* miniſterij enim dignitas exigit liberum hominem & ut inquit. Leo Pontifex , *debet eſſe immunis ab aliis qui divinæ militiæ eſt aggregandus, ut à Caſtris Dominicis, quibus nomen eius inſcribitur , nullius neceſſitatis vinculis abſtrahatur*, textus eſt in *cap. 1. diſt.* 34. altera cauſa eſt alienarum rerum adminiſtratio , propterea inſtitores, tutores, curatores, & ſimiles, non erunt ad ordines admittendi, donec rationes reddiderint , *tot. tit. extr. de obligat. ad ratiocinia* ; periculoſum enim eſt · ne contra reverentiam ordini debitam, compellantur redire ad negotia ſæcularia: 3. cauſa eſt delictum famoſum & manifeſtum ſimul , *cap. 4. & fin. de temporib. ordin.* Dixi manifeſtum, quia ſi tale non ſit , non impediet; ob delictum enim occultum nemo jure removetur quia latentia delicta non ſunt publicè vindicanda , *cap. fin. cauſ. 32. quæſt.* 5. præ-

terquã ſi ſit homicidium culpabile & ex malitia perpetratum aut ſimonia, *cap. inquiſitionis extr. de accuſat.* & *Clem. unic. de homicid.* ubi autem homicidium caſuale eſſet, aut neceſſarium, hoc eſt, factum ad juſtam defenſionem. nullam irregularitatem invehit, dict. *Clem. unic.* 4. cauſa eſt defectus natalium, quando quis non eſt ex legitimo matrimonio natus, *cap.* 1. *de filiis Preſbyter. in* 6. item qui ſibi virilia ſponte præſciderint ab ordinibus arcentur, etiamſi ſedandę Libidinis cauſa hoc fecerint, vide *cap.* 6. *extr. de corpore vitiatis*, & *c.* 4 & 5. *diſt.* 55 cum inquit Apoſtolicus Canon, tales ſui homicidę ſint, & Dei conditionis inimici; idemque dicendum de iis qui volentes digitum ſibi præſciderunt, *c. qui partem, dict. diſt.* 55. reſponſumque eſt à Gelaſio, ne ad Sacerdotij gradum eveheretur cui per vim ab alio oculus excuſſus eſt: oculus verò Canonis dicitur oculus ſiniſter, quia eo, & non dextro librum inſpicere Sa-

cerdos debet: Item ab ordinibus arcet notabilis deformitas corporis extrinſecus apparens; arcetur & is qui ita ſit claudus, & ſine baculo ad altare ire non poſſit, *can. nullus Epiſcopus de conſecr. diſt.* 1. removet etiam à ſuſcipiendis ordinibus publica & ſolemnis pænitentia, quæ alicui ob delictum aliàs, fuit injuncta, *can. ex pænitentibus diſt.* 50. idemque operatur imperitia literarum, *cap. fin. de tempor. ordin. in* 6. literatos enim convenit qui ad ordines promoventur, juxtà qualitatem ordinis ad quem quiſque promovetur, & ſic illiterati ſunt removendi à ſuſceptione ordinum, quià ut (inquit Leo Papa) *vix tolerabilis videtur in Laïcis inſcitia, quantò magis in iis qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, aut venia*, textus eſt in *cap. ſi in Laïcis diſt.* 38. præſtat demum impedimentum ab ordinibus ſuſcipiendis omnis cauſa irregularitatem inducens, ac conſequenter bigamia, quæ contrahitur ab eo qui duas habuit uxores vel

unam quidem, ſed viduam, aut ab alio corruptam aſſumpſit, *Can. maritum diſt. 33. & tit. extr. & in 6. de bigam.* eſt igitur bigamia irregularitas impediens ſuſceptionem ſacrorum ordinum, ex defectu perfectę ſignificationis Sacramenti procedens: talis verò perfecta ſignificatio, eſt conjunctio Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt unius viri cum unica ſponſa.

Quotuplex eſt bigamia? Reſp. triplex, vera ſcilicet, interpretativa, & ſimilitudinaria: verà eſt, quandò quis plures & legitimas uxores habuit & cum iis copulam: interpretativa eſt, quandò non verè interceſſit duplex matrimonium, ſed interpretativè tantum, v. g. ſi quis viduam duxerit cognitam à priori marito, vel quamcumque aliam fæminam à quocumque cognitam: ſimilitudinaria denique bigamia eſt, quam incurrit ille, qui poſt ordinis Sacri ſuſceptionem, vel ſolemnis voti emiſſionem, matrimonium con-

traxit & conſummavit, licet tale matrimonium ſit nullum.

Sed quid dicendum de baptizatis ab hæreticis? Reſp. tales ordinari non poſſe, ſi fuerint adulti, ſecus ſi infantes, nam his parentum error non officit. Et ex Concil. Neocęſarienſi baptizatus etiam in ęgritudine Presbyter nequit ordinari, quia ejus fides voluntaria non eſt, ſed neceſſaria.

Cęterum hic notandum quod ſummus Pontifex poteſt diſpenſare circà illa impedimenta, quę non à jure divino introducta ſunt, ſed à jure poſitivo. Quod ſi, ut Hormiſda Pontifex ait, quis non ordinatus aliquod divinum officium exercere tentaverit, propter temeritatem abſcindatur ab Eccleſia, & numquam ordinetur.

Sed quo anni tempore poſſunt conferri ordines? Reſp. Minores ordines quocumque anni tempore conferri poſſe; convenientius tamen eſt, ut die Dominico & feſti-

vo, id fiat, *cap.* 3. *extr. de tempor. ordin.* alij autem ordines, puta majores, non niſi ſequentibus temporibus, ſcilicet diebus Sabbatorum quatuor temporum; item die Sabbati qui antecedit Dominicam de paſſione, & die Sabbati Sancti, *cap.* 1 *&* 2. *dict. tit. de tempor. ordin.* ſi quis hæc tempora nolit obſervare, egebit reſcripto Pontificio per quod diſpenſatur, vocaturque ex ea cauſa reſcriptum extra tempora; eodemque etiam reſcripto indigebit ille qui ante legitimam ætatem petit ad ordines, & maximè ſacros, promoveri.

Quænam igitur ætas requiritur ad ſuſcipiendos ordines? Reſp. ad Epiſcopatum requiri 30. annos de jure Canonico communi, ex concordatis verò in Gallia ſufficiunt anni 27. ad Presbyteratum requiruntur 25. anni ſaltem inchoati: ad Diaconatum 23. anni ſaltem inchoati, & ſubdiaconatum, 22. anni ſaltem inchoati, Conc. Trid. *de reform. ſeſſ.* 23. *c.* 12. nec poteſt Epiſcopus ſuper illam ætatem diſpenſare;

at verò ſuper interſtitia poteſt, ita quod poſſit quem in Presbyterum ordinare ſpacio ſex dierum, non autem uno eodemque dieduos ordines ſacros conferre.

Quoad minores ordines, hoc videtur relictum arbitrio ſeu diſcretioni ordinantis, annos tamen infantiæ quis expleviſſe debet & etiam quoad primam tonſuram.

Qui ſunt in majoribus ordinibus, ſcilicet in Subdiaconatu, Diaconatu,& Presbyteratu,fiunt per manus impoſitionem (quæ eſt oratio ſuper hominem) ritibus propriis, & ſolemnibus cuique ordini adhibitis,*diſt.* 23. *per tot.* qui autem ſunt in minoribus, ſine Sacramentali Vnctione, ſola Epiſcopi benedictione cum quadam vaſorum vel indumentorum diſtributione ordinantur. Tales ſunt, qui primam tonſuram tulerunt, ut pſalmiſtę, oſtiarij, lectores, exorciſtæ, & Acolyti. Quibus omnibus citra excommunicationis pænam, à ſolo Pontifice; excepto mortis articu-

Digitized by Google

lo, relaxandam, manus injurioſas iniicere nemo poteſt, vide *Can. cleros diſt.* 21. ubi Gloſ. & *c.* 29. *ſi quis ſuadente Diabolo cauſ.* 17. *quæſt.*4.

Qui ſunt in majoribus ordinibus matrimonium contrahere nequeunt, poſſunt tamen qui ſunt in minoribus, ſi ad majores provehi noluerint, dignitatibus tamen Eccleſiaſticis, & Beneficiis, ſi fortè habuerint, ſunt privandi, ad evitationem ſcandali, & quia tales bona Eccleſiaſtica dilapidare ſolent, vide *cap.* 1. *&* 5. *de Cleric. conjugat.*

Sed quænam ſunt munera ejuſmodi perſonarum? Reſp. Munus Diaconorum eſſe Epiſcopum prædicantem cuſtodire, Sacerdotibus celebrãtibus in omnibus adſiſtere, & Evangelium ad populum prædicare, *c.* 1. *verſ. ad Diaconum diſt.*25. tamen præſentibus Epiſcopo, vel Presbytero non baptizant, nec Euchariſtiam erogant, niſi eis longiùs fortaſſe conſtitutis, vel neceſſitas ad id extrema compellat, *Can. conſtat* 16. *de conſecr. diſt.* 4. eſt enim

Presbyterorum, ſive Sacerdotum, propriè munus Euchariſtiam conficere, & erogare, infanteſque baptizare, vide *cap. 1. §. ad Presbyterum. diſt. 25.* & *c. conſtat baptiſma 19. de conſecr. diſt. 4.*

Munus Subdiaconorum eſt, Calicē & patenam ad altare deferre, Diaconis tradere, eis Miniſtrare, urceolum, aquam, mantile, & manutergium tenere, & Epiſcopis Presbyteris, & Diaconis, aquam ad altare pro lavandis manibus prębere, *cap. 1. verſ. Subdiaconus diſt. 25.*

Pſalmiſtæ ſunt cantores, qui cantandi Officium jubente Preſbytero, ſuſcipiunt: ad oſtiarium incumbit cura januæ Eccleſiæ, & cuſtodiendi claves, templum claudere & aperire, excommunicatos & infideles ingreſſu arcere *cap. 1. §. ad oſtiarium diſt. 25.*

Exorciſta eſt qui exorciſmos recitat & memoriter tenet: & Acolyti ſunt, qui lumina præparant, cerea & funalia deferūt, & ſuggeſta

pro Euchariſtia Subdiaconis præparant. *dict. Can. cleros §. Acolyti.* & ſic vides prędictis omnibus perſonis ſua munia ſigillatim eſſe diviſa.

Cęterum in conferendis ordinibus hęc forma ſervanda eſt, 1°. ut ſuſcipiantur à proprio Epiſcopo, *Can.* 1. §. *ad Epiſcopum diſt.* 20. ab alio enim conferri non debent, niſi de conſenſu proprij Epiſcopi, qui in hoc ſolet dare literas ſuas, quas vocat dimiſſorias, dimiſſoriales ſeu reverendas quibus alicui datur poteſtas ſuſcipiendi ordines ab alio, quàm à proprio Epiſcopo: 2. ut pręcedat ſcrutinium, hoc eſt, diligens examen de vita, moribus, & ſcientia ordinandi; & inſuper inquirendum erit quo ad illum, qui ad ſacros ordines promovendus eſt, an habeat Beneficium, vel ſufficiens patrimonium ex cujus reditu poſſit ſuſtentari; quod ſi aliquis ſine tali examine ſive ſcrutinio obrepſerit ad ordines, ille dicetur furtivè promotus: 3. ut ordines ſucceſſivè conferantur, hoc eſt, mi-

nores imprimis, deinde Subdiaconatus, poſtea Diaconatus, & demùm Presbyteratus; qui aliter fecerit, veluti ſi prætermiſſo ordine Subdiaconatus, aliquis ſuſceperit Diaconatum, ille dicetur per ſaltum promotus. 4. Ut ſerventur interſtitia, hoc eſt ea tempora, quæ de jure Canonico, & maximè ex Concil. Trid. obſervari præcipiuntur inter ordinum ſuſceptiones, à quibus tamen Epiſcopus, vel ipſius Vicarius Generalis, poteſt & ſolet ex juſta cauſa diſpenſare.

De Matrimonio.

MAtrimonium ſpõſalibus initiatur, nuptiis & conſenſu celebratur & perficitur, & divortio ſolvitur.

Introductum fuit à jure naturali, quoad conjunctionem; à jure divino, quoad inſtitutionem: in primordiis enim Eccleſiæ in Paradiſo à Deo ipſo inſtitutum eſt, &

Digitized by Google

ſic ratione loci in quo inſtitutum eſt, præcedit alia Sacramenta, necnon etiam ratione temporis, latitudinis & myſterij, eſtque commune ipſis infidelibus: Eſt à jure gentium quoad conſenſum, & juris civilis & Canonici, quoad ſolemnitatem, formam, & prohibitionem certarum nuptiarum.

In cauſis matrimonialibus finiendis quinque ſunt ſpectanda & attendenda jura; conſuetudo ſcilicet ante legem Moſaïcam, jus Moſaïcum, jus civile Romanorum, jus novi Teſtamenti, & jus Canonicum.

In commendationem matrimonij ſufficit hîc afferre, quæ de eo prædicant Impp. Juſtinianus & Juſtinus. Ille ſic ait: *Matrimonium ſic eſt honeſtum, ut humano generi immortalitatem artificioſè introducere videatur; ex filiorum enim procreatione renovata genera manent, jugiter Dei clementia, quantum eſt poſſibile, noſtræ immortalitatem donando naturæ, rectè nobis ſtudium eſt de nuptiis.* Hactenus

Juſtinianus, Juſtinus verò ſic ait. *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum eſt, atque matrimonium; quippe ex quo liberi, omniſque deinceps ſobolis ſeries exiſtit, quòd regiones ac civitates frequentes reddat, inde denique optimè Reipublicæ coaugmentatio fiat.* Adde his Ambroſium in matrimonij laudes ſic excurrentem, *lib.* 1. *ſuper Lucam. Divinum munus eſt fœcunditas parientis; agant itaque parentes gratias, quia generaverunt, liberi quia generati ſunt, matres quia conjugij præmiis honorantur; vernet in Dei laudem terra, quia colitur mundus, quia cognoſcitur Eccleſia, quia devoto numero plebs augetur.*

Nec obſtat quod ſcribat Apoſtolus *in prior. ad Corinth.* 7. *verſ.* 1. *&* 2. *Bonum eſſe homini mulierem non tangere.* Item, *velle ſe ut omnes homines eſſent ſicut ipſe, hoc eſt, cælibes, verſ.* 8. Illa (inquam) non obſtant, quia non ſimpliciter, ſed ſecundum quid intelligenda ſunt, reſpectu ſcilicet tunc præſentis neceſſitatis. Et licet matrimonium ſit lauda-

bile, & vitæ genus ſanctum & honeſtum, interim tamen plenum ærumnis, variiſque difficultatibus & incommoditatibus, adeóque verè, ut & dici ſolet, crucis ſchola; per ſe tamen laudabile eſt, honeſtum, licitum & ſanctum, eſtque teſte Apoſtolo, *ad Hebr.* 13. *verſ.* 4. honorabile in omnibus, & thorus immaculatus; fuitque inſtitutum ad vitanda majora flagitia, & ad medendum immundæ naturæ. Unde apparet quàm meritò de re tanti momenti jus utrumque ſollicitum fuerit.

Sed eſtne Sacramentum? Reſp. Matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum, ita communiter & firmiter tenent Canoniſtæ & Theologi Pontificij & Catholici omnes contra novatores hujus temporis, & eos qui à fide Romana receſſerunt; contractus enim ille civilis à Chriſto elevatus eſt ad eſſe Sacramenti, ut conſtat per definitiones Conciliorum Florentini & Tridentini. Præterea Ec-

clesia

cleſia Græca & Latina ab annis 500. ſummo conſenſu docuit ſeptem eſſe Sacramenta, inter quæ matrimonium ſemper numeravit, ut patet ex Magiſtro ſentent. & omnibus qui in eum commentati ſunt, ſed quod Eccleſia Græca & Latina conſenſu perpetuo docent, id eſt veriſſimum; nam Eccleſia nunquam deficere aut errare poteſt, *Matth.* 16. *verſ.* 18. *&* 1. *ad Timoth.* 3. *verſ.* 15. E contra homines in Scripturarum & Patrum lectione facilè labi poſſunt, ergo firmiter tenēdum matrimonium Chriſtianorum eſſe Sacramentum: addo quod ſi eſſet contractus humanus tantùm, nunquam ſancti Patres inter res ſacras illud habuiſſent, ſed ab exordio Eccleſiæ inter res ſacras habitum eſſe matrimonium, teſtantur Tertullian. *lib.* 2. *ad uxorem*, & Ambroſ. *epiſt.* 70. *ad Vigilium.* Ergo matrimonium non eſt humanus tantùm contractus, ſed etiam res ſancta, res ſacra, ſignum rei ſacræ, cui annexa certa

promiſſio gratiæ, & ſignum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

Sed in aſſignanda hujus Sacramenti materia & forma, diverſæ ſunt Theologorum ſententiæ, quibus tamen omiſſis, dico communiter à Canoniſtis afferri pro materia hujus Sacramenti contrahentium corpora, pro forma verò conſenſum eorum verbis, aut ſignis expreſſum; quod ſic probari poteſt: Ut enim in aliis contractibus materia eſt res illa de qua eſt contractus, quæve datur & accipitur, veluti materia emptionis eſt domus, ager, &c. Ita cùm in contractu matrimonij corpora cõtrahentium mutuò tradantur & accipiantur, juxta illud, *Vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier*, &c. Ipſa etiam eorum corpora ſunt hujus Sacramenti materia.

Quod attinet ad formam hujus Sacramenti & contractus, ſimiliter dico, ut aliorum contractuum forma eſt contractus mutuus, quo inter contrahentes de re danda vel

accipienda convenit, ita forma matrimonij ſunt verba ipſa contrahentium, ſive conjugum, vel ſigna externa conſenſum exprimentia.

Quoad Miniſtros hujus Sacramenti aſſero eſſe ipſos contrahentes, quia is eſt miniſter Sacramenti, qui formam ſuperinducit materiæ, id autem faciunt contrahentes proferendo verba, aut ſigna edendo, quibus mutuum conſenſum exprimant; ergo etiam ipſi contrahentes ſunt hujus Sacramenti miniſtri. Verum tamen eſt, quod ex præſcripto Concilij Tridentini debeant ea verba proferri in præſentia Parochi, & duorum teſtium; Parochi (inquam) vel alterius Sacerdotis de Parochi licentia; ipſe tamen Sacerdos non eſt hujus Sacramenti miniſter, ut patet ex eo quod ante Concilium Trident. matrimonium ſine Parocho, ſive publicè, ſive clandeſtinè contractum, verum erat matrimonium: tum etiam ex eo

quod ſecundæ nuptiæ non benedicantur à Sacerdote, & tamen ſunt verum Sacramentum.

Nec obſtat *Canon. aliter cauſ.* 30. *quæſt.* 1. ubi matrimonia ſine Sacerdote contracta, videntur dici non matrimonia, ſed adulteria, ſtupra, vel fornicationes, nam reſp. id intelligi in foro exteriori, quatenus Eccleſia ſemper præſumpſit & judicavit fornicationẽ, niſi matrimoniũ legitimè probari poſſit.

Quomodo definitur matrimonium? Reſp. Eſt legitima & maritalis conjunctio maris & fœminæ inter perſonas legitimas individuam vitæ conſuetudinem ſive conſenſum continens, cum divini & humani juris participatione, ita Modeſtinus in *l.* 1. *ff. de ritu nupt.* Verùm hæc definitio videtur matrimonio convenire potiùs, quatenus eſt contractus civilis, quàm ut eſt Sacramentum, ideò Valentia, *Tom.* 4. aliam adducit, hoc modo: Matrimonium (inquit ille) eſt ſignum efficax divinæ gra-

Digitized by Google

tiæ ad Chriſtianam procreationem in maritali & indiſſolubili contractu viri & fœminæ naturali, divinitùs inſtitutum. Cardinalis autem Toletus, ſic matrimonium, quatenus Sacramentum, deſcribit, ut ſit nimirùm contractus viri & mulieris legitimus, quo mutua corporum poteſtas traditur, gratiæ ſpiritualis collativus. Eſt enim Sacramentum novæ legis, quod gratiam confert, & per quod mas & fæmina prævio conſenſu in perpetuum conjunguntur. Dicitur autem matrimonium à matre; quod ideò potiſſimum nubat mulier, ut mater fiat, vel quod matris nomen ſperet, juxta Auguſtinum, *lib.* 19. *contra Manichæos*, vel certè (ut aliis placet) quia mater eſt certa parens prolis, cùm non ita certum ſit de patre, hinc mater ſuos liberos ardentiùs patre diligit; nã illa proprios & ſuos eſſe novit, credit hic: unde Poëta quidam,

Ex illo genitum me mater dicit, at ipſe

Digitized by Google

Eccleſiæ & denunciationibus præmiſſis: clandeſtinum ſive privatum matrimonium dicitur, quod contrahitur ejuſmodi ſolemnitatibus omiſſis, & ſine teſtibus & denuntiationibus, & inſciis parentibus, & tale matrimonium improbatur.

Item matrimonium aliud eſt legitimum & non ratum, quale eſt illud quod contrahitur inter infideles juxta leges, ſtatuta & mores eorum patriæ & leges Moſaïcas, de quo in *c. quanto* 7. & *in c. gaudemus* 8. *de divort.* & dicitur non ratum, quod non ſit Sacramentum, & quod poſſit repudio diſſolvi: aliud eſt ratum, & non legitimum, quod contrahitur inter fideles, ſed non ſervatis ſacrorum Canonum ſolemnitatibus, & dicitur ratum, quia inter fideles & Chriſtianos matrimonium ſemel initiatum & completum, ampliùs diſſolvi non poteſt: aliud denique dicitur matrimonium ratum & legitimum ſimul, quod nimirùm

Digitized by Google

Chriſtiani & fideles celebrant, legum & Canonum ſolemnitatibus obſervatis, vide *dict. c. quanto.* Et hoc matrimonium ſi ſit conſummatum carnali copula, dicitur perfectum, & quantum ad vinculum, & quantum ad ſignificationem, quare ſolâ morte diſſolvitur: nam matrimonium ante copulam, licet quoad vinculum, ſit perfectum, & ex ſanctitate Sacramenti ſanctum, non tamen dicitur perfectum quoad ſignificationem: non enim ſignificat illa omnia, quę matrimonium carnali copulâ conſummatum ſignificaret, Abbas *in c. debitum 5. de bigam. non ordinand.* Siquidem matrimonium ante copulam ſignificat charitatem, quæ inter Deum & juſtam animam in ſpiritu conſiſtit: poſt copulam verò deſignat conformationem quæ conſiſtit in Chriſto, id eſt divinitate, & carne humana, quam in Virginis utero ſuſcepit, *dict. c. debitum 5.*

Sed quæres quare ritè contra-

ctum matrimonium & ante copulam diſſolui poteſt intra duos menſes per ingreſſum Religionis & profeſſionem Monaſticam, cum tamen matrimonium conſummatum copula, ſola morte diſſolui poſſit, & nihilominus matrimonium ratum tantum & ante copulam ſit æquè Sacramentum, ac matrimonium conſummatum? Reſp. indiſſolubilitatem matrimonij oriri ex repreſentatione unionis Chriſti cum Eccleſia, ſed matrimonium conſummatum talem unionem arctius repreſentat, quam matrimonium ratum tantum & non conſummatũ, quia hoc repreſentat unionem Chriſti cum Eccleſia per fidem tantum, ſed conſummatum matrimonium eam repreſentat per fidem ſimul & naturam, ut in unione hypoſtatica.

Finis matrimonij multiplex eſt, ſed primus & præcipuus eſt procreatio ſobolis, & ut Reſpublica civibus & hominibus repleatur *l. 1. ff. ſolut. matrim.* ſecundus finis eſt,

obligatio ſe invicem juvandi mutuis officiis, juxta illud Sacræ ſcripturæ; *væ uni, quia ſi ceciderit, non habet. qui erigat eum* : Tertius finis eſt, evitatio & remedium fornicationis: matrimonij enim inſtitutio ante peccatum facta fuit ad conſervationem humanam & amicabilem conjunctionem; poſt peccatum verò etiam in remedium fornicationis ; qui enim cupiditates ſuas, aut concupiſcentiam frænare nequit, ſatius eſt, ut honeſtam uxorem ducat, quam vagas libidines ſectetur, adeoquè ſcelere nefario, mortalique peccato ſe polluat, 1. *Cor. 7. verſ.* 2. *&* 9.

Effectus quoquè matrimonij varij ſunt, 1. eſt, ut inducatur ſocietas illa individua: 2. eſt, quod fiat mutua traditio corporum, unde illud apud Gratianum, *mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir, nec è contra*. 3. eſt quod acquiratur poteſtas marito in bona dotalia uxoris, *l. in rebus Cod. de jur. dot.* & etiam in ipſam uxorem, juxta il-

Iud. *& erit ſubdita illi*, 4. effectus eſt, poteſtas patria, quæ patri acquiritur in liberos ex legitimo matrimonio ſuſceptos.

Sed ut matrimonium benè & validè contrahatur, duo neceſſariò requiruntur, 1. ut contrahentes ſint matrimonij contrahendi capaces & habiles: 2. ut legitimo modo contrahant: contrahentium verò capacitas ſive habilitas ſecundùm jus naturale judicatur ex potentia generandi ſeu coëundi: ſecúndum jus gentium ex potentia ſeu habilitate conſentiendi, & ſecundum jus Civile ex illius juris communione: ſic, ut matrimonium legitimo modò contrahatur, requiritur 1. legitima contrahentium ætas, quæ utroque jure judicatur pubertas quæ eſt in maſculis anno 14. & in fæminis anno 12. completo; citiùs enim fæminæ pubeſcunt, quemadmodum & citiùs ſeneſcunt: requiritur contrahentium conſenſus liber & non coactus, declaratus juxta formam

Digitized by Google

Tridentini coram Parocho & teſtibus, nec non etiam conſenſus parentum in quorum poteſtate ſunt, & quidem ex neceſſitate ſecundum jus Civile & ordinationem Regiam in Gallia, idque ſub pœna exhæredationis : at verò ejuſmodi parentum conſenſus in matrimonio liberorum ex jure Canonico magis ex honeſtate, quàm neceſſitate requiritur, Gloſſ. *in Can. ſufficiat* 2. *cauſ.* 27. *quæſt.* 2. & *in Can. hoc Sanctum in verb. parentum cauſ.* 32. *quæſt.* 2. quibus acceſſit Concilium Tridentinum de reformat. matrim. *ſeſſ.* 24 *cap.* 1. *in princ.* requiritur demum ut matrimonium legitimo modo contrahatur ; ut nullum ſubſit impedimentum Canonicum.

Quo ad hoc ultimum requiſitum ſciendum duo eſſe genera impedimentorum propter quæ matrimonium contrahi prohibetur : quædam enim ſunt impedientia & dirimentia ſimul ; & quædam impedientia tantum : quæ ſunt primi

Digitized by Google

generis ſic obſtant matrimonio contrahendo, ut ſi de facto contractum fuerit, illud ſit nullum, imò contrahens peccat: ſecundi verò generis impedimenta ſunt propter quæ prohibemur contrahere, ſed ſi contractum ſit matrimonium, illud ſubſiſtit, non obſtante tali impedimento. Impedimenta primi generis, ſcilicet impedientia & dirimentia ſimul, his verſiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si ſponſam rapias, nec parti reddita tuta eſt.
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Vt autem clarius & facilius ejuſmodi verſus intelligantur, & quia interpretatione egent, eos reſu-

Digitized by Google

mam & per ſingulas particulas elucidabo.

Error.

CIrca hoc impedimentum, ſciendum quadruplicem errorem poſſe contingere circa matrimonium, primus eſt perſonæ, ut ſi quis credat ſe contrahere matrimonium cum Titia, & loco ejus reponatur Mævia, vel alia: ſecundus eſt conditionis, ut ſi credat aliquis contrahere cum libera muliere, quæ tamen ſerva eſt, ſive ſervilis conditionis: tertius eſt error fortunæ, ut ſi putem aliquam eſſe divitem, quæ ſit pauper & inops: quartus eſt error qualitatis, ut ſi putetur virgo & intacta, quæ tamen corrupta eſt, aut meretrix: duo primi errores ſunt verè impedimenta dirimentia, quia tollunt & excludunt contrahentium aut duorum, aut unius conſenſum; alij verò duo errores, puta qualitatis & fortunæ nihil obſunt. Nam

matrimonium non bonorum acceſſione, ſed conſenſu perficitur, & facti meritum habebit qui publicam meretricem de lupanari extraxerit & in uxorem duxerit, vide *c. inter opera de ſponſal.*

Conditio.

CIrca hoc impedimentum, ſciendum quod matrimonium poteſt contrahi, non tantum purè, ſed etiam ſub conditione, modò tamen poſſibilis ſit & honeſta, adeò ut donec impleta fuerit conditio, matrimonium adhuc nullum vinculum inducat, niſi vel expreſſe à tali conditione receſſum ſit; vel tacitè, puta per ſubſecutam copulam: quo ad impoſſibiles autem conditiones, ſi matrimonio fuerint adjectæ, de illis ſic diſtinguendum, ut ſi ſint contra finem & ſubſtantiam matrimonii, nullum vinculum contrahatur, & omnino vitiant matrimonium, ut conſtat *ex cap. fin. extr. de conditio-*

Digitized by Google

nib. appoſit. Ubi hæc tria exempla iſtius rei gratia referuntur : Contraho tecum matrimonium, ſi impedieris ſive evitaveris procreationem ſobolis : ſi aliam meliorem aut ditiorem non invenero, ſi pro quæſtu te adulterandum dederis, directò enim ejuſmodi conditiones opponuntur fini & bono matrimonij, & pugnant cum tribus ejus bonis, quæ ſunt fides, proles, & Sacramentum :

Cæteræ autem conditiones impoſſibiles, ſive tales ſint de jure, natura, aut facto, habentur pro non appoſitis ſubſiſtente matrimonio ; hinc dicitur quod illę vitiantur, & non vitiant, quod fit ſpeciali jure in favorem matrimonij, cum tamen alij contractus apoſita ſimili conditione nullius ſint roboris, *l. non ſolum ff. de oblig. & act.*

Nota etiam vitiari matrimonium ſi appoſita etiam fuerit honeſta conditio modò repugnet matrimonio, veluti ſi dicatur: Cōtraho tecum matrimonium, ſi me-

eum vixeris in perpetua caſtitate, Covar. *in 4. decret. part. 2. cap. 3.* nec enim matrimonium vitiat perpetua continentia, exemplo Beatæ Virginis & Ioſephi; ſed tamen id non poteſt deduci in pactum, quia eſt contra ſubſtantiam matrimonij, *cap. ult. de condit. appoſit.*

Votum.

VOtum quod dicitur promiſſio facta Deo deliberatè, & de re honeſta, vel eſt ſolemne, vel ſimplex: ſi ſolemne, & per illud voveatur caſtitas, ut fit profeſſione Religionis, tale votum erit impedimentum dirimens, propter quod non poteſt poſteà ullum matrimonium contrahi; ſi autem votum ſit ſimplex, impedit tantum & non dirimit, ut ſi quis in ſe & privatim voverit caſtitatem: & ſic votum caſtitatis ſolemne, quod Religionis approbatæ profeſſione expreſſa vel tacita, aut ſacri ordinis ſuſceptione celebratur, impedit & diri-

Digitized by Google

mit matrimonium, *cap. unic. de voto in 6.* idem operatur ſacer ordo, adeò ut in ſacris conſtitutus, contrahens, ipſo facto ſit excommunicatus, *Clem. unic. de conſang. & affinit.* at in minoribus conſtitutus, licitè contrahit, *Can. ſi qui 3. diſt. 32.* & *c. 1. de cler. conjug.*

Cognatio.

CIrca hoc impedimentum triplex diſtinguenda eſt cognatio, naturalis ſcilicet, legalis, & ſpiritualis: prima contrahitur & oritur ex vera & naturali ſanguinis propagatione, dividiturque in tres lineas, aſcendentium ſcilicet, deſcendentium & collateralium, & de hac cognatione naturali habetur titulus apud Gregorium de conſanguinitate & affinitate.

Secunda contrahitur ex adoptione, & de ea extat titulus apud Gregor. de cognat legali.

Tertia oritur ex Sacramentis baptiſmi & confirmationis, ibi-

Digitized by Google

enim cenſetur fieri aliqua generatio ſpiritualis: cognatio autem in genere, eſt attinentia ſive propinquitas perſonarum ex propagatione naturali, legali, aut ſpirituali.

Quoad primam ſpeciem ſive cognationem naturalem, ratione illius prohibetur matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum, *§. non omnes inſtit: de nupt. l. nuptiæ iunct. l. nihil ff. de rit. nupt.* inter collaterales verò qui non ſunt parentũ & liberorum loco, prohibetur matrimoniũ uſque ad quartum gradum incluſive juxta computationem juris Canonici, cui in hac materia ſtandum eſt: quarè qui ſunt in quarto gradu contrahere nequeunt matrimonium de jure Canonico ſine diſpenſatione Epiſcopi, nec diſtinguitur utrum illa cognatio ſit contracta ex legitima, vel illegitima copula, *vide Can: non debet extr. de conſang. & affinit.*

Quoad legalem cognationem, ea quoque impedit matrimonium

inter adoptantem & adoptatam, ſive adhuc duret adoptio, ſive ſit finita; inter adoptatum verò & filios filiaſque adoptantis, ità demum prohibetur matrimonium, ſi adhuc duret adoptio; ad ulteriores autem hoc impedimentum non extenditur.

Quoad cognationem ſpiritualem, ſi contracta ſit ex Sacramento confirmationis, impedit matrimonium inter confirmantem & confirmatam, confirmatæ patrem & matrem, & detinentem: ſi autem contracta ſit ex Sacramento baptiſmatis, impedit item matrimonium inter baptizantem & baptizatam; & baptizati baptizatæve parentes, & ſuſcipientes ſeu de ſacro fonte levantes: inter ſuſcipientes autem (qui dicuntur patrini) nulla hodiè eſt prohibitio; inter eos enim tantum ſunt principia cognationis, dilectionis, & amicitiæ, vide Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim.* ibi enim Concil. illud hanc cognationem ſpiri-

Digitized by Google

tualem coarctavit.

Sed quæres cur potiùs hæc cognatio ſpiritualis naſcitur exSacramentis baptiſmi & confirmationis, quam ex aliis Sacramentis? Reſp. Quia per illa duo Sacramenta, & non per alia renaſcitur & regeneratur homo ad vitam æternam, ſive unus ab alio recipit eſſe quoddam ſpirituale, *Can. 1. & duobb. ſeqq. cauſ. 30. quæſt. 3.* proindéque cum in aliis Sacramentis, non contingat ſimilis regeneratio, non contrahitur etiam aliqua cognatio ſpiritualis: licet enim alia Sacramenta ſint collativa gratiæ ſpiritualis, non tamen id faciunt per modum regenerationis ſpiritualis, ſed vel per modum alimentationis, ut Euchariſtia; vel per modum ſanationis ſeu reconciliationis, ut pænitentia, quæ ſecunda naufragij tabula dicitur, &c.

Crimen.

ILla particula deſignat quod crimen adulterij tribus caſibus, & cum certis circumſtantiis omnino obſtet matrimonio contrahendo, & id contractum dirimat: primus eſt, ſi id fuerit commiſſum cum uno conjugum cum machinatione in mortem ſive necem alterius: ſecundus caſus eſt, ſi admiſſum ſit cum pacto & fide data de contrahendo matrimonio poſt mortem alterius conjugis: tertius denique caſus eſt, ſi quis ſciens ſe adhuc habere conjugem contraxerit de facto cum alia, ita Canoniſtæ, vide *tot. tit. extr. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.*

Quid ergò ſi quis aliam ducat uxorem, aut cum ea ſponſalia contrahat, legitima uxore adhuc vivente? Reſp. quod ſi ſecunda uxor ſciverit illum habere uxorem, & vivente prima ejus uxore, ab illo carnaliter ſit cognita, matrimo-

Digitized by Google

nium cum iſta ſecunda reſcindi, & ne mortua quidem prima uxore tolerari, *c. 4. 5. & ult. de eo qui duxit uxorem quam poll. per adult.* ſi vero ignorabat eum habere uxorem, & cum eo non ſit carnaliter cognita, matrimonium poſt primæ uxoris mortem contrahi poteſt, & antea contractum non dirimitur; *dict. cap. ult.* nec fit thori ſeparatio ad viri petitionem, muliere divortium non petente, *cap.* 1. *eod.*

Cultus diſparitas.

PRopter hanc cauſam prohibetur & impeditur matrimoniũ inter fidelem ſeu Chriſtianum, & infidelẽ, hoc eſt, qui non eſt baptizatus: inter Catholicum tamen & hæreticam, quia & hæc Chriſti fidem profitetur, matrimonium conſiſtit, Gloſſ. *in Can. non oportet cauſ.* 28. *q.* 1. peccat tamen Catholicus cum Hæretica ſine diſpenſatione contrahens propter periculum ſalutis cui ſe exponit: at verò

Chriſtiani cum Paganis, Judæis, vel Turcis matrimonium contrahere non poſſunt ſub pœna excommunicationis, *c. ſi quis Iudaïca cauſ. 28. quæſt. 1.*

Vis:

MEtus cadens in conſtantem virum, vel fæminam, hoc eſt, metus gravis, non etiam qui levis eſt, aut reverentialis tantum, obſtat matrimonio contrahendo, *cap. veniens, & cap. cum locum extr. de ſponſal.* quod procedit ſive metus ſit illatus ex cauſa injuſta, ſive juſta, modò tamen conſenſus superveniens, aut cohabitatio, vel copula vitium præcedens non purgavit.

Ordo.

MAjores ſive ſacri ordines, non etiam minores, obſtant matrimonio contrahendo & contractum dirimunt, *cap. 1. & 2. qui clerici vel voventes & cap. 1. extr. de cleric. conjugat.*

Ligamen.

Ligamen.

PRopter hanc cauſam matrimonium jam legitimè contractum, & adhuc durans, impedit aliud contrahi, prohibita ſi quidem eſt (etiam de jure civili) poligamia ſive uxorum ſimul pluritas *c. licet* 3. *c. tuas* 5. *de ſponſ. duor.*

Honeſtas.

PRopter publicam honeſtatem prohibetur etiam & dirimitur matrimonium diciturque propinquitas ſive attinentia perſonarum proveniens ex ſponſalibus aut matrimonio nondum conſummato conſtituta à ſacris Canonibus propter matrimonij reverentiam; juſtitia enim publicæ honeſtatis, robur ex inſtitutione Eccleſiæ trahit, propter ejuſdem Eccleſiæ honeſtatem. Dixi ex ſponſalibus, aut matrimonio nondum conſummato, ad denotandas duas

Digitized by Google

cauſas ex quibus naſcitur; & licet ante Concilium Trid. oriretur ex ſponſalibus etiam irritis ex quavis cauſa, præterquam ex defectu conſenſus, *cap. unic. de ſponſal. in 6.* tamen per Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. de reformat. conſtitutum fuit, ut ex validis tantum & legitimis ſponſalibus naſcatur. Cum ergò publica honeſtas nata eſt ex matrimonio non conſummato, extenditur uſque ad quartum gradum incluſivè, v. g. contraxeram matrimonium cum Berta, illa mortua eſt ante conſummationem, non potero nubere cum ea quæ illi fuerit conjuncta ſanguine uſque ad quartum gradum; quod ſi nata ſit ex ſponſalibus, non extendetur ultra primum gradum, modo nulla interceſſerit copula, ità *dict. ſeſſ. cap.* 3. vide *cap. ad audientiam* 4. *de ſponſal.* & *cap.* 1. *eod. in* 6.

Si ſis affinis.

QUo ad affinitatem, ſciendum impedimentum ex ea proveniens, inter affines qui parentum (ut ſunt ſocer, ſocrus, vitricus, noverca, &c. vel liberorum) ut ſunt gener, nurus privignus, privigna, &c. loco ſunt extendi in infinitum *Can.* I. *de conſang. & affinit.* unde inter conſanguineos uxoris meæ, qui ei in linea recta ſunt conjuncti, & me percetuò nuptiæ prohibentur, *dict. Can.* I. in linea verò tranſverſali ſive inter affines collaterales, exemplo conſanguinitatis illud impedimentum redactum eſt uſque ad quartum gradum incluſivè & ſecundum juris Canonici computationem. *Can. non debet* 8. *extr. de conſang. & affinit.* Ratio autem cur impedimentum affinitatis in linea tranſverſali reſtrictum eſt inſtar conſanguinitatis uſque ad quartum gradum, hæc adfertur; quod cum per mutuam corporum

mit matrimonium, *cap. unic. de voto in* 6. idem operatur ſacer ordo, adeò ut in ſacris conſtitutus, contrahens, ipſo facto ſit excommunicatus, *Clem. unic. de conſang. & affinit.* at in minoribus conſtitutus, licitè contrahit, *Can. ſi qui* 3. *diſt.* 32. & *c.* 1. *de cler. conjug.*

Cognatio.

CIrca hoc impedimentum triplex diſtinguenda eſt cognatio, naturalis ſcilicet, legalis, & ſpiritualis: prima contrahitur & oritur ex vera & naturali ſanguinis propagatione, dividiturque in tres lineas, aſcendentium ſcilicet, deſcendentium & collateralium, & de hac cognatione naturali habetur titulus apud Gregorium de conſanguinitate & affinitate.

Secunda contrahitur ex adoptione, & de ea extat titulus apud Gregor. de cognat legali.

Tertia oritur ex Sacramentis baptiſmi & confirmationis, ibi-

enim cenſetur fieri aliqua generatio ſpiritualis: cognatio autem in genere, eſt attinentia ſive propinquitas perſonarum ex propagatione naturali, legali, aut ſpirituali.

Quoad primam ſpeciem ſive cognationem naturalem, ratione illius prohibetur matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes in infinitum, *§. non omnes inſtit: de nupt. l. nuptiæ iunct. l. nihil ff. de rit. nupt.* inter collaterales verò qui non ſunt parentū & liberorum loco, prohibetur matrimoniū uſque ad quartum gradum incluſive juxta computationem juris Canonici, cui in hac materia ſtandum eſt: quarè qui ſunt in quarto gradu contrahere nequeunt matrimonium de jure Canonico ſine diſpenſatione Epiſcopi, nec diſtinguitur utrum illa cognatio ſit contracta ex legitima, vel illegitima copula, *vide Can: non debet extr. de conſang. & affinit.*

Quoad legalem cognationem, ea quoque impedit matrimonium

inter adoptantem & adoptatam; ſive adhuc duret adoptio, ſive ſit finita; inter adoptatum verò & filios filiaſque adoptantis, ità demum prohibetur matrimonium, ſi adhuc duret adoptio; ad ulteriores autem hoc impedimentum non extenditur.

Quoad cognationem ſpiritualem, ſi contracta ſit ex Sacramento confirmationis, impedit matrimonium inter confirmantem & confirmatam, confirmatæ patrem & matrem, & detinentem: ſi autem contracta ſit ex Sacramento baptiſmatis, impedit item matrimonium inter baptizantem & baptizatam; & baptizati baptizatæve parentes, & ſuſcipientes ſeu de ſacro fonte levantes: inter ſuſcipientes autem (qui dicuntur patrini) nulla hodiè eſt prohibitio; inter eos enim tantum ſunt principia cognationis, dilectionis, & amicitiæ, vide Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. matrim.* ibi enim Concil. illud hanc cognationem ſpiri-

tualem coarctavit.

Sed quæres cur potiùs hæc cognatio ſpiritualis naſcitur exSacramentis baptiſmi & confirmationis, quam ex aliis Sacramentis? Reſp. Quia per illa duo Sacramenta, & non per alia renaſcitur & regeneratur homo ad vitam æternam, ſive unus ab alio recipit eſſe quoddam ſpirituale, *Can.* 1. *& duobb. ſeqq. cauſ.* 30. *quæſt.* 3. proindéque cum in aliis Sacramentis, non contingat ſimilis regeneratio, non contrahitur etiam aliqua cognatio ſpiritualis: licet enim alia Sacramenta ſint collativa gratiæ ſpiritualis, non tamen id faciunt per modum regenerationis ſpiritualis, ſed vel per modum alimentationis, ut Euchariſtia; vel per modum ſanationis ſeu reconciliationis, ut pænitentia, quæ ſecunda naufragij tabula dicitur, &c.

Digitized by Google

Crimen.

ILla particula deſignat quod crimen adulterij tribus caſibus, & cum certis circumſtantiis omnino obſtet matrimonio contrahendo, & id contractum dirimat: primus eſt, ſi id fuerit commiſſum cum uno conjugum cum machinatione in mortem ſive necem alterius: ſecundus caſus eſt, ſi admiſſum ſit cum pacto & fide data de contrahendo matrimonio poſt mortem alterius conjugis: tertius denique caſus eſt, ſi quis ſciens ſe adhuc habere conjugem contraxerit de facto cum alia, ita Canoniſtæ, vide *tot. tit. extr. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.*

Quid ergò ſi quis aliam ducat uxorem, aut cum ea ſponſalia contrahat, legitima uxore adhuc vivente? Reſp. quod ſi ſecunda uxor ſciverit illum habere uxorem, & vivente prima ejus uxore, ab illo carnaliter ſit cognita, matrimo-

Digitized by Google

nium cum iſta ſecunda reſcindi,& ne mortua quidem prima uxore tolerari, *c.* 4. 5. *& ult. de eo qui duxit uxorem quam poll. per adult.* ſi vero ignorabat eum habere uxorem, & cum eo non ſit carnaliter cognita, matrimonium poſt primæ uxoris mortem contrahi poteſt, & antea contractum non dirimitur; *dict. cap. ult.* nec fit thori ſeparatio ad viri petitionem, muliere divortium non petente, *cap.* 1. *eod.*

Cultus diſparitas.

PRopter hanc cauſam prohibetur & impeditur matrimoniũ inter fidelem ſeu Chriſtianum, & infidelẽ, hoc eſt, qui non eſt baptizatus: inter Catholicum tamen & hæreticam, quia & hæc Chriſti fidem profitetur, matrimonium conſiſtit, Gloſſ. *in Can. non opportet cauſ.* 28. *q.* 1. peccat tamen Catholicus cum Hæretica ſine diſpenſatione contrahens propter periculum ſalutis cui ſe exponit: at verò

Christiani cum Paganis, Judæis, vel Turcis matrimonium contrahere non poſſunt ſub pœna excommunicationis, *c. ſi quis Iudaïcæ cauſ. 28. quæſt. 1.*

Vis.

Metus cadens in conſtantem virum, vel fæminam, hoc eſt, metus gravis, non etiam qui levis eſt, aut reverentialis tantum, obſtat matrimonio contrahendo, *cap. veniens, & cap. cum locum extr. de ſponſal.* quod procedit ſive metus ſit illatus ex cauſa injuſta, ſive juſta, modò tamen conſenſus superveniens, aut cohabitatio, vel copula vitium præcedens non purgavit.

Ordo.

Majores ſive ſacri ordines, non etiam minores, obſtant matrimonio contrahendo & contractum dirimunt, *cap.* 1. *&* 2. *qui clerici vel voventes & cap.* 1. *extr. de cleric. conjugat.*

Ligamen.

Digitized by Google

Ligamen.

PRopter hanc cauſam matrimonium jàm legitimè contractum, & adhuc durans, impedit aliud contrahi, prohibita ſi quidem eſt (etiam de jure civili) poligamia ſive uxorum ſimul pluritas *c. licet* 3. *c. tuas* 5. *de ſponſ. duor.*

Honeſtas.

PRopter publicam honeſtatem prohibetur etiam & dirimitur matrimonium diciturque propinquitas ſive attinentia perſonarum proveniens ex ſponſalibus aut matrimonio nondum conſummato conſtituta à ſacris Canonibus propter matrimonij reverentiam; juſtitia enim publicæ honeſtatis, robur ex inſtitutione Eccleſiæ trahit, propter ejuſdem Eccleſiæ honeſtatem. Dixi ex ſponſalibus, aut matrimonio nondum conſummato, ad denotandas duas

Digitized by Google

Si ſis affinis.

QUo ad affinitatem, ſciendum impedimentum ex ea proveniens, inter affines qui parentum (ut ſunt ſocer, ſocrus, vitricus, noverca, &c. vel liberorum) ut ſunt gener, nurus privignus, privigna, &c. loco ſunt extendi in infinitum *Can.* 1. *de conſang. & affinit.* unde inter conſanguineos uxoris meæ, qui ei in linea recta ſunt conjuncti, & me percetuò nuptiæ prohibentur, *dict. Can.* 1. in linea verò tranſverſali ſive inter affines collaterales, exemplo conſanguinitatis illud impedimentum redactum eſt uſque ad quartum gradum incluſivè & ſecundum juris Canonici computationem. *Can. non debet* 8. *extr. de conſang. & affinit.* Ratio autem cur impedimentum affinitatis in linea rranſverſali reſtrictum eſt inſtar conſanguinitatis uſque ad quartum gradum, hæc adfertur; quod cum per mutuam corporum

communicationem, vir & mulier una caro fiant, meritò alter ab alterius conſanguineis, ut à ſuis propriis, ad eum uſque gradum abſtinere debeat, *dict. Can.* I. *verſ. æquè enim de conſang. & affinit.*

Sed quid eſt affinitas & qui dicuntur affines? Reſp. Affinitas eſt vinculum, attinentia & propinquitas perſonarum ex unione duorum per copulam carnalem orta abſque ſanguinis parentela; affines verò dicuntur viri & uxoris cognati, ſic dicti, quod duæ cognationes per nuptias conjungantur, & altera ad alterius fines accedat: non quod cognati viri & uxoris fiant inter ſe affines, ſed quod cognati viri fiant affines uxori, & econtra: inter virum autem & uxorem non contrahitur affinitas, ſunt enim tantum principium & cauſa affinitatis.

Affinitas de jure Canonico non ſolum ex licita, ſed etiam ex illicita copula contrahitur, item ex coacta & cum dormiente habita,

Digitized by Google

c. diſcretionem 6. ubi Gloſ. Abb. & alij *extr. de eo qui cogn. conſang. uxor, &c.* modò tamen ſit perfecta, id eſt, ſemen viri in vas naturale fæminæ ad generandum ſit immiſſum, *c.* 11, *extraordinaria cauſ.* 35. *q.* 3. ubi Gloſ. at de jure Civili extra legitimas nuptias nulla affinitas oritur, & nulli ſunt gradus affinitatis; ea ratione, quod affines ab affinibus non generentur, *l.* 4. §. *gradus ff. de gradib. & affinib.* Sed de jure Canonico, eodem modo inter affines, quo inter conſanguineos gradus affinitatis numerantur & diſtinguntur, ſecundum hanc regulam: quoto gradu: quiſpiã eſt cognatus uxori, eodem ſit affinis marito, & vice verſa *Can. porro cauſ.* 35. *quæſt.* 5.

Sed hic notandum 1. quod quando affinitas naſcitur & contracta eſt ex juſto matrimonio & coitu licito, talem affinitatem impedire & dirimere matrimonium uſque ad quartum gradum incluſive: quę verò oritur ex coitu illicito & extra matrimonium, non extenditur

ultra 2. gradum, ità Concil. Trid. *dict. ſeſſ. 24. cap. 4. de reform. matrim.*

Notandum 2. impedimentum affinitatis eſſe intelligendum de affinitate primi generis, non ſecundi, vel tertij, *c.* 1. *&* 8. *de conſang. & affinit.* in ſecundo enim & tertio affinitatis genere nuptiæ permittuntur.

Notandum 3. matrimonia ratione conſanguinitatis & affinitatis prohibita, permitti & tolerari, quando à ſummo Pontifice, ſive Epiſcopo petitur & impetratur diſpenſatio. *Can. gaudemus* 8. *de divort.* & *Ban. quod dilecto* 3. *de conſanguinit.* talis autem diſpenſatio concedi ſolet & debet ex juſta cauſa & ſingulari prudentia magiſtratuum, & eorum, penes quos jus diſpenſandi adhibita eſt, ne ſecus diſpenſatio ſit diſſipatio quod verò olim hoc jure fuit reſcriptum principis, id hodie eſt diſpenſatio, quam dum ſibi Pontifices vindicarunt, magnum ſuæ arcæ quæſtum quæſiverunt, ſi Cujacio & aliis credimus.

Si fortè coire nequibis.

PER iſta verba denotatur ratione impotentiæ impediri & dirimi matrimonium: hic autem ſumitur impotentia, pro vitio quodam, ſive à natura, vel ab accidente contracto, quo quis impeditur carnaliter commiſceri, *cap. ex literis extr. de frigid. & maleficiat*: quod vitium ſi ex defectu caloris proveniat, dicitur in maſculis frigiditas, ſi autem arte dæmonis, vocatur maleficium, ut conſtat *ex dict. rubrica de frigid. & malefic.*

Dividitur in impotentiam naturalem & accidentalem: naturalis provenit, vel imbecilitate ætatis, ut in impubere; quæ adveniente pubertate deſinit; cum nimirum nativæ qualitates, quæ immaturæ & nimia humiditate erant oppreſſæ, caleſcere & vigere incipiunt; vel in adulto; ob nativam qualitatem depravatam, in viro propter nimiam frigiditatem; in muliere,

quia ita arcta eſt, ut virum nequeat pati, *tot. dict. tit. ſive rubr. de frigid. & malefic.* Impotentia accidentalis oritur ex aliquo accidenti: eſtque vel violenta, ut cùm gladio vel alio inſtrumento alicui virilia ſunt exſecta & amputata; vel occulta, quando quis faſcino ligatus, & maleficio ita devinctus, ut rei venereę ſit prorſus inhabilis, *c. 4. ſi per ſortiarias, cauſ. 33. quæſt.* 1.

Dividitur 2 impotentia in perpetuam, quæ ſemper durat; in temporalem, quæ durat ad aliquod tempus: in abſolutam, quæ reddit aliquem inhabilem quoad quamcumque fœminam, & in reſpectivam, quæ reddit inhabilem ad aliquam tantùm, his poſitis

Dico quamlibet impotentiam poſt contractum matrimonium ſupervenientem, nihil operari ad diſſolutionem ejus, etſi nondùm fuerit conſummatum, ratio eſt quod nullibi reperiatur in jure matrimonium ratum alio modo diſſolvi poſſe, quàm per profeſſio-

Digitized by Google

nem religionis: Quòd ſi impotentia præcedat, ſiquidem abſoluta ſit, impedit matrimonium quoad omnes; ſi verò reſpectiva, impedit tantùm quoad illam perſonam, cujus reſpectu inhabilitatem parit, ita *ex cap. conſultationi extr. de frigid. & malefic.* factâ igitur ſeparatione poterunt ſeorſim nubere: at ſi impotentia temporalis ſit, ſive abſoluta, ſive reſpectiva, non impedit, ſed expectatur tempus, quo tollatur impedimentum, *dict. cap. ex literis, & cap fraternitatis, extr. de frigid. & malefic.*

Quod verò ſi dubium ſit, an impotentia ſit perpetua, an temporalis, eo caſu datur triennium ad experimentum, quo elapſo, ſi dederint operam copulæ, & non potuerint commiſceri, ſeparabuntur nupturi ſeorſim cum aliis, *cap. laudabilem extr. eod.*

Sed hæc ita procedunt, ſi alter conjugum ignorans vitium impotentiæ quo alter laborat, contraxerit; nam ſi ſciens, vel impoten-

tia poſtea comperta ſimul morari conſenſerit: reſciſſio non facilè permittitur, *dict. cap. conſultationi.*

Raptus.

PRopter crimen raptus prohibetur contrahi matrimonium, donec rapta fuerit reſtituta & repoſita in tali loco in quo poſſit liberè & ſine metu præſtare conſenſum, vel recuſare.

Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis.

Iſta verba denotant vitium clandeſtinitatis officere matrimonio; dicitur autem hoc loco matrimonium clandeſtinum, quando non fuit ſervata forma Concil. Trid. quæ exigit ut præſtetur conſenſus partium coram Parocho & duobus teſtibus, vel coram ordinario, aut alio Sacerdote de conſenſu Parochi, vel Ordinarij.

Hactenùs explicata ſunt impe-

Digitized by Google

dimenta matrimonium impedimentia & dirimentia ſimul: quæ autem impediunt tantùm, ſunt furor, interdictum, feriæ, ſponſalia, Catechiſmus, votum ſimplex, crimen, ut inceſtus, uxoricidium, raptus, ſuſceptio propriæ ſobolis de fonte, preſbytericidium, pœnitentia ſolemnis, quæ impedimenta ſequentibus verſiculis continentur.

Eccleſiæ vetitum, necnon tempus feriatū,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum.
Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Si quem pœniteat ſolemniter, aut monialē,
Accipiat, prohibent hæc conjugium ſociandum.

Sed cùm hæc impedimenta impediant tantùm, & non dirimant matrimonium, & facilè per diſpenſationem tollantur, in iis ſeorſim exponendis non immoror compendio ſtudens.

Cæterùm ſi nullum obſtet im-

quibus jure permittitur, *l.* 1. *ff. de ſponſal.* dicitur repromiſſio, id eſt, mutua & reciproca promiſſa; talis enim eſſe debet, ut mutua & hinc inde ex utraq; parte naſcatur obligatio: dico, legitimè inter eos facta, &c. quia ut legitime contrahantur ſponſalia, ea contrahentes non debent eſſe ſeptennio minores, *lib.* 14. *ff. de ſponſal.* Verùm de jure Canonico ſufficit ut contrahentes, quid agunt, intelligant; & quod facit in matrimonio habilitas corporis, & præmatura potentia generandi, ætatem requiſitam ſupplens, idem operatur in ſponſalibus ætatem ſeptennij præveniens intellectus, & præcox uſus rationis ſecundùm Canoniſtas.

Olim ſponſalia præmittebantur matrimonio, tanquam contractus quidam præparatorius & pro ſolemnitate quadam: hodie verò de jure Canonico ſolent præcedere matrimonium, vel ut tollatur nuptiarum impedimentum, ſi aliquod ſubſit, vel ſi tolli non poſ-

Digitized by Google

ſit, ipſæ nuptiæ inhibeantur, neve fervidæ libidini permittatur, ut effræni impetu ſtatim à facta deſponſatione ad concubitum proruat, quo fine in noſtris Eccleſiis trinundina promulgatio novorum ſponſorum in ſolemni Chriſtianorum cœtu præmitti ſolet.

Sponſalia de jure Canonico, alia ſunt de præſenti, & alia de futuro, *c. ſi inter virum 31. extr. de ſponſal.* Illa contrahuntur per verba præſentis temporis, ut, Accipio te in uxorem, & ego te in virum; & iſta verba prolata inter puberes faciunt verum matrimonium; prolata verò inter impuberes, reſolvuntur in ſponſalia de futuro, quæ & verè ſponſalia dicuntur, & contrahuntur per verba futuri temporis, ut ego ducam te in uxorem, *c. penult. extr. de ſponſal.* Hæc ſponſalia de futuro, vel ſunt nuda & ſimplicia, cùm ſponſus ſponſæ nudè & ſimpliciter promittit matrimonium: vel firmata, cùm nimirùm mutuæ partium promiſſio-

Digitized by Google

ni accedit juramentum, aut annuli, vel arrharum datio, *c.* 14. *ſi quis uxorem*, & *c.* 15. *ſi quis deſponſavit* 27. *quæſt.* 2.

Quodnam eſt vinculum ſponſaliorum? Reſp. Grave eſſe ſecundùm jus Canonicum; eo namque jure ſub pœna mortalis peccati tenetur pars ad inſtantiam alterius contrahere matrimonium, & ad hoc compelli poteſt judicis Eccleſiaſtici cenſura, *c. ex litteris* 10. *extr. de ſponſal.* quamvis hoc facilè fieri non debet, cùm matrimonia coacta triſtes & difficiles ſoleant habere exitus.

Quid ſi arrhæ datæ fuerint in contractu ſponſaliorum? Reſp. quod utroque jure (Canonico ſcilicet & Civili) pars quæ dedit arrhas, ſi ſine cauſa non contrahat poſtea matrimonium, eas perdit: & qui accepit, ſi ſimiliter contrahere renuat, & ſit major 25. annis, duplicatas arrhas reſtituere tenetur, *l. ult. cod. de ſponſal.*

Sed hîc obiter adverte, quod

Digitized by Google

licet appoſitio arrharum in ſponſalibus & matrimonio non reprobetur, cùm arrha realiter tradi debeat: ſecùs tamen dicendum de appoſitione & adjectione pœnę, ut bonis moribus, & libertati matrimonij adversâ & contrariâ, *cap. gemma extr. de ſponſal.* Pœna enim pertinet ad aliquem adſtringendum ad contrahendum matrimonium, cujus libertas inhoneſtè cōſtringitur, licet fides electi honeſtè poſſit conſtringi.

Sed quomodo ſolvuntur ſponſalia? Reſp. Variis modis, morte ſcilicet, vel etiam mutuo diſſenſu partium puberum, vel etiam fornicatione unius ex partibus, ſive carnali, ſive ſpirituali, puta, apoſtaſia vel hęreſi: item lapſu temporis in iis appoſiti, necnon etiam defectu non implete conditionis appoſitę: item per ſubſequens matrimonium de pręſenti cum alia contractum, tanquam per fortius vinculum, *c. ſicut 22. extr. de ſponſal.* aut etiam per ſponſalia de fu-

turo copulâ confirmatâ, *c. veniens ad nos* 15. *eod.* ſolvuntur etiam ingreſſu religionis, *c. commiſſum* 16. *eod.* Vel ſi alterutra partium inciderit in lepram, oculos naſumve amiſerit, vel aliquid turpius in ſe contraxerit, contracta enim ſponſalia intelliguntur ſub tacita hac conditione (*rebus in eodem ſtatu permanentibus*) &c.

De divortio.

DIvortium eſt legitima viri & mulieris ſeparatio ex cauſa legitima, & ejus probatione per judicem competentem factâ; fitque vel quoad thorum, vel quoad vinculum matrimoniale: quoad thorum, quando uſus matrimonij, puta conjugum cohabitatio, vel mutua converſatio ad tempus, vel nullâ temporis habitâ ratione interdicitur, *c. dixit Dominus cauſ.* 32. *quæſt.* 1. Fit autem quoad matrimoniale vinculum, quando matrimonium quoad ſubſtantiam,

Digitized by Google

penitùs & in perpetuum reſcinditur, *c. interfectores, cauſ. 33. q. 2.*

Cauſę propter quas ſeparatur quoad thorum iſtę ſunt; fornicatio corporalis unius conjugum, aut etiam fornicatio ſpiritualis, hoc eſt, ſi alter inciderit in hęreſim, apoſtaſiam, aut idolatriam. Item ſi ſupervenerit capitalis inimicitia inter conjuges, ob quas unus vitæ ſuæ periculum timeat: item ſi unus compellat alium ad peccandum, quod puto intelligendum, ſi manifeſtum periculum ſit, quod etiam coactio durabit in futurum, ex his & aliis ſimilibus ſeparari poterunt conjuges, ita ut ſeorſim vivant, non tamen ut poſſint etiam dum ambo vivunt, cum aliis nubere, quia adhuc manent conjuges, & durat vinculum, *c. quanto 7. extr. de divort.* Matrimonio autem per divortium diſſoluto quoad vinculum, conjuges liberè ad ſecunda vota tranſire, & religionem, alterâ parte invitâ, poſſunt intrare, *c. 21. Agathoſa, cauſ.*

Digitized by Google

27. *quæſt.* 2. Fit autem divortium quoad vinculum, propter infidelitatem; cùm ſcilicet alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertitur; & infidelis ſine talis fidei injuria, vel ſcandalo continuo, cum eo cohabitare non vult, *c. gaudemus* 8. & ibi DD. & *dicit c. quanto extr. de divort.*

Cæterùm hîc ſciendum ſeparationem, ſive quoad thorum, ſive quoad declarationem nullitatis coram judice Eccleſiaſtico tantùm fieri debere, quia ad ipſum ſolùm pertinet, non etiam ſæcularem cognoſcere de ſacramento matrimonij, quod eſt res ſpiritualis: qui judex Eccleſiaſticus, ſine juſta cauſa & propria authoritate divertentem poteſt compellere ad matrimonium colendum, *c. ex tranſmiſſa* 8. *de reſt. ſpol.* & *c. ex parte* 9. *extr. de ſponſal.*

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Eccleſia, & iis quæ de Eccleſia tractantur & ei accidunt.

POſt tractatum de Sacramentis Eccleſiæ, nunc de ipſa Eccleſia videndum. Eccleſia igitur duobus accipitur modis, & 1° quidem pro cœtu, congregatione, & communione fidelium unius fidei conſenſum habentium, & quatenus ſub uno capite ſeu ſummo Pontifice, Chriſti in terris Vicario, fidem Chriſtianam profitentur. 2. Accipitur ut & hoc loco, pro ædibus ſacris, ſeu ædificiis deſtinatis ad cultum Deo exhibendum, & Sacramenta & divina Officia celebranda, vide *can.* 2. *de conſecr. diſt.* 1. Sic ſumpta Eccleſia dicitur domus orationis, templum, & etiam baſilica ante conſecrationem, *dict. can.* 2. *diſt. ead.* & hoc ſenſu multa de Eccleſiis pertra-

Digitized by Google

ctantur in corpore juris Canonici, nempè qualiter ędificentur, conſecrentur, repurgentur, reficiantur, & uniantur inter ſe, hoc eſt plures ſub uno Rectore conſtituantur, quâ de re ſub titulo de unione Eccleſiarum; illa omnia ad Eccleſiam ſpectant; ſi enim auctus fuerit populus, extruitur & ędificatur Eccleſia; ſi decreverit, unitur; ſi deficiat, tollitur, aut alio modo reformatur, prout viſum fuerit Epiſcopo vel Metropolitano.

Extructio Eccleſiæ, vel eſt veteris Eccleſiæ reſtauratio, vel novę ædificatio; aut enim Eccleſiæ novæ ædificantur, aut veteres collapſuræ inſtaurantur, & reparantur, *cap. 1. & 2. de Eccleſ. ædificand. & reparand.* Novæ ædificantur; ſi juſta cauſa id ſuadeat, veluti propter notabile populi incrementum, & populus loco ſacro indigeat, aut ſi fructus unius Eccleſiæ ſint ſufficientes ad duas, & Parochia latiores habeat fines, quàm tempore hyemali poſſint accolæ in unam

convenire, &c. & Epiſcopus loci, ſic ſuadente juſta cauſa, de novo Eccleſiam ædificare poteſt, ſed ſine ejus conſenſu nemo alius, ſi faciat, jure patronatus privatur.

Fit reparatio Eccleſiæ, cum vetuſtate, vel alia de cauſa collabitur, ſeu ruinam minatur; hoc autem reparationis onus ipſius Eccleſiæ rectori incumbit, ſi quarta huic uſui à ſacris Canonibus & reditibus Eccleſiæ aſſignata, non ſufficiat, & ipſi Rectori proventus, undè hos poſſit ferre, ſuperſint, nullaque conſuetudo hoc onus ad Laïcos tranſtulerit, vide *Can. de his* 4. *de Eccleſ. ædiff. & repar.* at vero ſi ex reditu Eccleſiæ talis reparatio fieri non poſſit, Parochiani debent contribuere, quandoquidem eorum cauſa & utilitas agitur, & ſatis contribuit Curio, cum laborem pro eorum ſalute ſubit, & ità juſſit Deus ut populus contribueret ad conſtruendum ſanctuarium, Templi, *Exod.* 25. *cap.* 38. & 35.

Sed ædificata Eccleſia non ante ſacris miniſteriis deputari poteſt, quàm conſecrata fuerit, quare ne divino cultui mora offeratur; conſecratio quàm citiſſimè fieri debet, *Can. fin. de conſecrat. Eccleſ. & altar.*

Quid eſt conſecratio? Reſp. Eſt delinitio per quam ſuperficies interior per exteriorem ceremoniam Deo & ejus cultui deſtinatur, & fit cum crucibus, nec fieri debet ſine ſanctorum reliquiis, aut miſſarum celebratione & fieri poteſt non ſolum diebus Dominicis, ſed & privatis, nec ſolum Eccleſię, ſed & altaria, ſi ſint lapidea conſecrari debent, certis etiam obſervatis ſolemnitatibus.

Sed an Eccleſia ſemel conſecrata, vel altare ſemel conſecratum ſit denuo conſecranda, vel conſecrandum? Reſp. Negative ſed hoc debet intelligi regulariter; dico regulariter nam interdum & certis caſibus conſecratio iterari debet & poteſt, veluti ſi amotum fuerit

& funditus diruta, tunc enim de novo inſtauratur & conſecratur; item quando, an ſit conſecrata, dubitatur; item cum polluta fuit, veluti excommunicati corpore in ea inhumato, aut propter homicidium, vel adulterium in ea commiſſum quibus caſibus, iterum cōſecranda: eſt. Hodie tamē propter homicidium, aut adulterium non cenſetur Templum profanatum, & ideò non eſt opus conſecratione nova, ſed tantum exorciſatione & reſperſione aquæ benedictæ.

Sed an polluta Eccleſia, cenſetur etiam pollutum cæmiterium? Reſp. Quod quandò polluitur Eccleſia, pollui quoquè cæmiterium contiguum, non autem remotum; ſed contra, polluto cæmiterio, non ob id cenſetur polluta Eccleſia, & & ſi ſint duo cæmiteria contigua, uno polluto, non ob id cenſetur pollutum aliud, *Can. unic. de conſecrat. in 6.*

Sed cujus eſt conſecrare? Reſp. Epiſcopi, qui eo loco jura Epiſcopa-

pa-

copalia exercet, *c. 1. de relig. domib.* non inferioris, *c. nullus Præsbyter in Eccleſia 25. de conſecrat. diſt.* 1. ne quidem Epiſcopo delegante; quoniam ea quæ ſunt ordinis, ut conſecratio, alteri mandari non poſſunt, *c. penult. de conſecrat. Eccleſ.* & *can. Pontifices 4. caſ. 7. q. 1.*

Sed cujus eſt Eccleſia poſtquam dedicata & conſecrata eſt, an Dei ſolius, an in patrimonio noſtro adhuc remanet? Reſp. non eſſe amplius in patrimonio noſtro; unde patronus qui locum dedit & & fundum ad ædificandam Eccleſiam, aut qui eam dotavit, conſtruxit, aut reparavit, licet propterea jus patronatus in ea habeat & retineat, in ea tamen nullum dominium proprium retinet, nec poteſt reditus ejus in ſuos uſus convertere, *Can. piæ mentis cauſ. 16. q. 7.* nec bona ejus adminiſtrare, *cap. præterea extr. de jur patronat.* bona enim Eccleſię ſunt in patrimonio Chriſti, ac proindè in profanos uſus non debent converti, ſed in opera,

membra Eccleſię , & pauperes diſtribui.

Quæri quoque poteſt quâ forma, ſive in quem modum conſtrui ſive ædificare Eccleſia ſoleat? Reſp. In hunc modum, ut nimirum pars ejus ſuperior ad orientem reſpiciat, & in formam crucis, vel rotundam fiat: Ratio autem hujus rei eſt; quia cum fundimus preces verſus orientem, paradiſum unde cecidimus, reſpicimus, & à Deo petimus, ut nos ibi reſtituat.

Cęterum ad Epiſcopum loci pertinet proſpicere, an is qui Eccleſiam ædificare aut fundare decreverit, id pietatis, an lucri cauſa faciat, puta ut ex eo quod de ſuo, vel in ſuo ædificavit, quęſtum cum Clericis dividat, *cap. ſi quis baſilicam* 10. *de conſecrat. diſt.* 1. an ſtatuat proventus, quę ad luminaria, cuſtodiam, cuſtodumque ſtipendia, & onera Epiſcopalia ſolvenda ſufficiant, *dict. Can. piæ mentis cauſ.* 16. *q.* 7. ad ea enim tenentur fundatores, *dict. c. piæ mentis* & eorum hę-

redes, *novell.* 131. *cap.* 10. *&* 12. & in ſubſidium Epiſcopus ipſe tenetur, ſi ſine dotatione ædificari permiſit: ad exemplum ordinatorum ſine titulo, quos vel alere tenetur, vel de Beneficio eis providere *c. Epiſcopus* 4. *de præbend.*

CAPUT XVII.

De Eccleſiarum unione & diſſolutione.

VNio Eccleſiarum nihil aliud eſt quam duarum vel plurium Eccleſiarum conjunctio, ita ut de duabus una fiat. Ut enim una Eccleſia juſta de cauſa in plures dividi poteſt, ita etiam plures Eccleſiæ in unam poſſunt conjungi. Et talis unio ſeu conjunctio aliquando fit in perpetuum & aliquandò ad certum tempus unde unio alia dicitur perpetua, alia temporalis: illa fit & durat ſine definitione temporis,

Digitized by Google

hęc ad certum tempus, v.g. durante vita alicujus & ſic cenſetur facta ſi ita ſit expreſſum. Et tunc, tempore, ad quod conceſſa, elapſo, vel mortuo eo ad cujus vitam conceſſa, diſſoluitur: ſic etiam ſi unio ſit perpetua, ea diſſoluitur, ſi cauſa ob quam facta, ceſſat; vel ſi illud Eccleſiæ aut neceſſarium, aut utile fuerit, Peruſ. *tract. de unionib. cap.* 1. in perpetuum verò unio facta intelligitur; ſi vel contemplatione Eccleſię, cui annectitur alia, vel ad ſedis Apoſtolicę placitum, ut perpetua eſſet, ſit expreſſum, Petr. Peruſ. *dict. tract. cap. ult.*

Prӕterea fit unio Eccleſiarum ità, vel ut una alteri accedat; vel ut non accedat, ſed omnes principaliter conjungantur; vel ut uni Pręlato omnes ſubiiciantur, ſed omnes tamen in veteri ſtatu permaneant. Si unio ſit facta hoc poſteriori modo, ut ſcilicet omnes in veteri ſtatu maneant, ſingularum dignitas non minus viget, ac ſi unio facta non fuiſſet, & ſic diverſæ

Diæceſeos Eccleſię uniri poſſunt. Per eam tamen unionem, neutri Epiſcoporum, quo minus uterque in ſibi ſubjecta Eccleſia jus ſuum integrum retineat fit prejudicium, *cap. de Relig. domib.*

Sed advertendum hoc modo unius Dieceſeos Eccleſias Parochiales, aut ſimplicia Beneficia, ſeu Preſtimonia aut Preſtimoniales portiones ; ulla de cauſa alterius Dieceſeos beneficio, aut Monaſterio, vel loco etiam Pio in perpetuum uniri non poſſe, per Concil. Trid. *cap.* 9. *ſeſſ.* 14. nec etiam dignitates, aut Beneficia libera aliis beneficiis juri patronatus ſubjectis, Garcias *part.*2. *cap.* 2 *num.* 1. Paſtor. *de benefic. tit.* 4. nec Vicarie perpetue Eccleſiarum Parochialium capitulis, dignitatibus, aut officiis uniri poſſunt. *Rota deciſ.*273. *in novis* Cetera vero beneficia tum ſimplicia, tum curata cum aliis uniri poſſunt, ſi juſta cauſa ſubſit, *Concil. Trid ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 5.

Avertè etiam quod ſi una Ec-

Digitized by Google

cleſia alteri tanquam acceſſoria uniatur, Eccleſię cui annectitur, privilegium, & conſuetudinem aſſumit, & propria jura amittit, *Can.& temporis* 48. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. & *Can. ſicut* 8. *de exciſſ. Prælat.* at ſi nulla alteri accedat , non tantum omnes priſtinam naturam, privilegia, conſuetudines, & jura retinent, ſed & altera alterius privilegia nanciſcitur, Petr. Peruſ. *dict. tract. cap.*1. *dict. Can. ſicut*, & *dict. Can.& temporis* 48.

Cauſę unionis duę pręcipuę referuntur, urgens ſcilicet neceſſitas, & evidens utilitas *Can. expoſuiſti de præbend.* Ex cauſa neceſſitatis, duarum Eccleſiarum fit unio, ſi ob inopiam, una ex pluribus Eccleſiis, vel omnes alienis ſuppetiis egeant, vel ſingulę ſingulos Sacerdotes alere nequeant, *Can. poſtquam* 49. *cauſ.* 16. *q.* 1. vel ſi propter hoſtiles incurſus & terrores, aut crebras infeſtaſque hoſpitationes altera Eccleſia ſit deſolata, *dict. Can. poſtquam* vide *Conſtit. Bleſenſ. art.* 22. *& duob. ſeqq.*

Sic ex cauſa utilitatis contingit beneficiorum & Eccleſiarum conjunctio & ſub uno Rectore unio, ſi id, aut locorum opportunitas, vel temporum qualitas expoſcat. Ut ſi Eccleſiæ adeò vicinæ ſunt, ut facile unus Sacerdos ſeu Parochus omnibus poſſit ſufficere & ſervire, *dict. Can. & temporis* 48. Vel ſi unius, vel omnium populus ſit oppidò infrequens factus, ut ſi Chriſtianorum numerus in eo loco ſit diminutus, aut omnino ſublatus, *dict. Can. & temporis.*

Sed quinam habent uniendi poteſtatem? Reſp. Talem poteſtatem eſſe penes ſummum Pontificem, Legatum ejus de latere, & etiam Epiſcopum, cum hac tamen differentia; quod ſummus Pontifex qualeſcumque Eccleſias unire poſſit, *Can. ſicut* 8. *de exceſſ. Prelat.* & ab ipſo tantum Epiſcopatus uniuntur, & uniti diſſolvũtur: Legatus de latere poteſt unire Eccleſias in legatione ſua ſitas, niſi ſint Collegiatæ, *cap. penult. de offic. legat. in* 6. Sic in

ſua propria Diœceſi exiſtentes & ſibi ſubjectas Eccleſias, poteſt unire Epiſcopus, licet nondum conſecratus, modo confirmatus, *dict. Can. ſicut* 8. à Vicario tamen Epiſcopi non poteſt fieri unio ſine ſpeciali mandato, quia intereſt Epiſcopi, Garcias *part.* 12. *cap.* 2 §. 1. neque à capitulo ſede vacante, ob eandem cauſam, & rationem *cap. unic. in* 6. ne ſede vacante aliquid innovetur, nec etiam ab Epiſcopo ſine conſenſu Capituli ſui, Clem. ſi una 2. de rebus Eccleſ. non alien. Caccialup. *in tract. de unionib. art.* 3. *num.* 11. ſic etiam ut validè unire poſſit Epiſcopus neceſſarius eſt conſenſus Prælati inferioris ad quem jus Eccleſiæ quæ unitur, conferendæ ſpectat. Caccialup. *eod. tract. num.* 4. non deſideratur tamen conſenſus Rectoris qui Eccleſiam uniendam poſſidet, *dict. Clem. ſi una* Petr. Peruſ. *dict. loc. cap.* 5. *num.* 5. & iſta notanda.

Notandum etiam quod ſi fiat unio menſæ Epiſcopi, vel Capituli,

authoritatem Papæ requiri, quia Epiſcopus non poteſt eſſe judex in ſua propria cauſa, *dict. Clem. ſi una de reb. Eccleſ. non alien.* quod ſi Eccleſia Parochialis uniatur menſæ Epiſcopi, vel Capituli, non ſupprimitur, ſed in ea Vicarius inſtituitur qui ſerviat aſſignatâ portione congruâ, & Concilium Tridentinum eo caſû vicarium perpetuum inſtituendum juſſit, videatur *ſeſſ. 7. de reform. cap. 7.*

Sed an poſſunt Eclesiæ ſive beneficia uniri antequam vacent? Reſp. Quod licet beneficia antequam vacent, impetrari nequeant, *cap. 1. & 2. de conceſſ. præb.* uniri tamen poſſe ante vacationem ſine præjudicio poſſeſſoris; executio tamen unionis differtur in tempus vacationis, ne fiat præjudicium poſſeſſori vide *Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 5. de reform.* Noli tamen putare duarum Eccleſiarũ vacãtium unionem per vacationem diſſolui: poſſunt autem omnes quorum intereſt, petere diſſolutionem, eamque

cum cauſæ cognitione,& adhibitis iis quorum intereſt, poteſt concedere, qui unire, Peruſ. *de revocat. union. cap.* 2. *&* 5. *&* *ſeqq.* qui enim conſtruere poteſt,deſtruendi quoque habet poteſtatem poſitis ponendis,*l. is poteſt ff. de acquir. hæredit.*

CAPUT XVIII.

De Eccleſiarum immunitate.

AD Eccleſias quoque ſpectat immunitas quæ hic ſumitur pro quolibet favore, rigoris remiſſione ſeu indulgentia Eccleſiarum, eſt enim jus quo loca, vel res, vel perſonæ Eccleſiaſticæ à communi onere ſeu obligatione ſunt liberæ & exemptæ. Ita Covar. per *l.* 1. *ff. de jure immunitatis.* Ex hac deſcriptione triplex Colligitur immunitas: localis ſcilicet, quæ competit Eccleſiis & locis Religioſis: realis quæ conceſſa ex prædiis & rebus ad

Eccleſiam, vel alium pium locum pertinentibus: tertia dicitur perſonalis, quę conceditur perſonis Eccleſiaſticis.

Prima immunitas ſive localis conſiſtit maximè in iſtis nimirum, quod nihil profanum in ejuſmodi locis debeat exerceri, cum enim Eccleſia ſit domus orationis, merito à profanis uſibus debet eſſe aliena, unde conventus & judicia, & maximè criminalia ab Eccleſiis & Cęmiteriis removentur & proceſſus facti & ſententię in iis latę, firmitate carent, & judices ſęculares ſub anathematis interminatione prohibentur à judiciis in iis exequendis: abſurdum enim ibi judicium ſanguinis exerceri, ubi eſt tutela conſtituta refugij: item confugientes ad Eccleſias, aliaque loca Religioſa, ſecuritatem ibi habere debent, nec inde avelli poſſunt, quâ de re *totus titulus Codicis de his qui ad Eccleſ. confug.* vide *cap. inter alia extr. de immunit. Eccleſ.* verum tali beneficio non gaudent publi-

Digitized by Google

ci latrones, graſſatores viarum, nocturni depopulatores agrorum, nec homicidæ qui ex inſidiis occidunt, nec qui in ipſis Eccleſiis delinqunt; quia indigni ſunt beneficio Eccleſiæ, qui in ea & in eam peccant: item in Eccleſiis, Cęmiteriis, aliiſque piis & Religioſis locis, conſilia nundinarum, aliorumque ſęcularium tractationes, confabulationes, fęda & profana colloquia, aliaque quę cultum divinum turbare, vel impedire, aut divinam majeſtatem poſſint offendere, haberi prohibentur, *c. decet 2. de immunit. Eccleſ. in 6.* ibi enim peccatorum non eſt poſtulanda venia, ubi peccandi prębetur occaſio.

Secunda immunitas ſeu realis conſiſtit in eo quod prędia pertinentia ad Eçcleſiam, vel Religioſum locum eximantur ab oneribus tributorum & aliarum exactionum quę à poteſtate ſęculari imponuntur & indicuntur, *cap. Eccleſia extr. de conſtitutionib.* adeò ut qui

ejuſmodi prædiis tributa vel exactiones imponunt, aut exigunt, excommunicentur, *c. quanquam 4. de cenſib. in 6.*

Receditur tamen ab hac immunitate certis ex cauſis 1. ſi tanta ſit Reipublicæ neceſſitas, ut Laïcorum facultates ſufficere nequeant, quo caſu Epiſcopus requiſitus per poteſtatem ſęcularem ſpontè & ſine coactione debebit declarare cum ſuo Clero quid in illam cauſam impendere poſſit, *cap: adverſus extr. de immunit. Eccleſ.* 2. cauſa ob quam receditur ab hac immunitate, eſt, ſi fontes, pontesve publici reficiendi ſint, ſi muri civitatum, aut impenſę faciendę ad excipiendum Principem, *Can. ſi tributum cauſ. 11. q. 1. l. inſtructiones Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quam immunitatem ſi quis violaverit, excommunicatur.

Tertia denique immunitas ſive perſonalis eſt privilegium quoddam Clericis & regularibus indultum, conſiſtens 1. in eo quod eximuntur à juriſdictione Laïcorum,

tot. tit. extr. de foro compet. quod procedit tam quoad actiones civiles, quàm criminales, *cap. fin. dict. tit. de for. compet.* 2. eximuntur à muneribus perſonalibus, unde nec tutelam, curatelam, aut officium decurionatus, nec alia hujuſmodi gerere; aut ſuſcipere compelluntur, *cap. Clericis de immunit. Eccleſ. in* 6. excipe tutelam miſerabilium perſonarum, cum ipſis cupiditatis, non pietatis negotia interdicantur: non tenentur etiam ad excubias, aut cuſtodiam murorum, niſi quando graviſſima eſt neceſſitas & præſens hoc exigit, *cap. pervenit* 2. *de immunit. Eccleſ. cap. ſi nulla* 23. *quæſt.* 8.

CAPUT XIX.

De Decimis.

DEcimæ etiam (ut & primitiæ & oblationes de quibus poſtea) ad Eccleſiam & perſonas Ec-

cleſiaſticas pertinent, & mediam quandam tenent naturam inter res temporales & ſpirituales; jus namque decimandi eſt ſpirituale, fructus verò decimarum ſunt temporales & profani. quorum perceptio pertinet ad Sacerdotes & Eccleſias Parochiales.

Quomodo definiuntur decimæ? Reſp. ſunt quota portio bonorum mobilium licitè quæſitorum miniſtris Eccleſiæ exſolvenda ad ſuſtentationem eorum, & in recognitionem ſupremi dominij quod Deus habet in nos & res noſtras & decimarum origo eſt ex conſtitutione divina & earum approbatio ex humana & ſic debentur jure divino & humano: quod decimæ ſint juris divini, probatur *cap.* 8. & *cap. Parochianos de Decim. & Exod.* 22. *ibi decimas & primitias non tardabis offerre*, &c. Dixi (quota portio) quia licet fæquentius decima ſit pars decima, tamen ſæpè contingit pro diverſa locorum conſuetudine, ut nunc major ſit, vel minor portio.

Digitized by Google

Dixi (bonorum mobilium) quia licet præſtetur portio fructuum ex prædiis ſeu immobilibus perceptorum , nulla tamen pars ipſorum prædiorum in decimam præſtatur. Dictum eſt (licitè quæſitorum) quia Eccleſia non vult habere cōmodum ex turpi quæſtu , ne delicta approbare videatur. Dictum eſt (Eccleſiæ Miniſtris exſolvenda) quia decimæ Eccleſiaſticæ ſeu Clericales præſtantur propter officium ſpirituale , quod à ſolis Eccleſiæ miniſtris expeditur. Dictum denique eſt (ad ſuſtentationem eorum) quia expedit , ut cùm Clerici nobis ſpiritualia miniſtrent, illi etiam à nobis ad corporalem victum neceſſaria recipiant.

Quomodo dividuntur decimæ?

Reſp. Dividi in prædiales, perſonales, & mixtas. Prædiales ſunt quæ perſolvuntur ex fructibus vel reditibus prædiorum , veluti ex vino, frumento, pomis , &c. *cap. penult. extr. de decim.*

Perſonales ſunt quæ perſolvun-

tur ex lucris per induſtriam noſtram licitè acquiſitis, veluti ex negotiatione, venatione, & ſimilibus, *cap. ex transſmiſſa* 23. *extr. eod.*

Mixtæ ſunt, quæ partim occaſione rerum noſtrarum, & partim occaſione induſtriæ præſtantur, veluti ex fœtibus animalium, ex lana, lacte, & ſimilibus: æquiparantur enim realibus quatenus proveniunt ex rebus noſtris, & quatenus ex induſtria noſtra æquiparantur perſonalibus: quoad perſonales verò & mixtas, vix eſt ut ullibi hodie perſolvantur.

Sed inter decimas prædiales & perſonales iſtæ differentiæ notandę. Prima, quod prędiales ſolvantur non deductis expenſis, quę ad procurandos fructus fuerunt factæ; *cap. paſtoralis* 28. *extr. de decim.* ut ſine deductione cenſuum, & tributorum, *c. cùm non ſit* 33. *eod.* cùm enim debeantur Deo in ſignum univerſalis dominij retenti, ut dictum eſt, hoc habent privilegium,

ut ante omnem cenſum, expenſas, tributum, & exactionem percipiantur. Nec obſtat *l. fructus ff. ſolut. matrim.* ubi fructus dicuntur tantùm deductis impenſis. Reſp. enim cùm nomen fructus refertur ad partem quotam, non deducuntur impenſę, ut fit in ſolutione decimarum; ſecùs ſi agatur de omnibus fructibus reſtituendis, quo in caſu concludit & intelligenda dicta lex *fructus*. At verò perſonales decimæ non debentur, nec perſolvuntur niſi prius deductis impenſis, *cap.* 20. *& cap. paſtoralis* 28. *extr. de decim.*

Secunda differentia inter duas illas ſpecies eſt, quod decimę prędiales regulariter perſolvantur Eccleſię Parochiali intra cujus territorium ſita ſunt prędia, niſi aliter ſpeciali jure diſpoſitum ſit; perſonales verò ſolvuntur ei Eccleſię in qua quis Sacramenta percipit, quamvis alibi lucrum ſit factum, *c. ad Apoſtolica* 20. *verſ. noveris extr. de decim.*

Digitized by Google

Tertia denique differentia eſt, quod prędiales decimę debeantur ab omnibus, hoc eſt, tam à Laïcis, quàm à Clericis regularibus & Monachis, & tam à Paganis, quàm Chriſtianis prędiorum poſſeſſoribus, quia ſunt onera prędiorum, *c. à nobis extr. de decim.* Perſonales verò decimæ non perſolvuntur niſi á Chriſtianis Laïcis, unde & Pagani, quia non percipiunt Sacramenta, ob quam cauſam pręſtari debent; & Clerici quia & Eccleſię ſerviunt immunes ſunt à decimis perſonalibus, vide *c. decim. cauſ.* 16. *quæſt.* I.

Neque eſt quod objiciant Judęi, Pagani, & Infideles, ſe non teneri decimas ſolvere, quia hoc jure non tenentur, quod etiam dicere poſſiunt Clerici & Religioſi ſpirituali quodam modo Deo uniti. Reſp. Enim Deum voluiſſe omnes omninò bonorum poſſeſſores teneri ad decimas, exceptis his qui ſuo nomine poſſident, ut ſunt Sacerdotes Curiones.

Digitized by Google

Sed quod dictum eſt prędiales decimas ab omnibus, etiam à Clericis, pręſtandas eſſe, limitatur in Religioſis Ciſtercienſis ordinis, & in Templariis & Hoſpitalariis, quos hodie vocamus Equites Melitenſes; illi enim quoad prædia, quę propriis laboribus excolunt, decimas pręſtare non tenentur, *c. ex parte extr. de decim.* Aliis puta quàm ſui ordinis Clericis, *c. 1. §. cæterùm, de verb. ſignif. in 6.* Et ibi Gloſſ.

Quod etiam dictum prædiales decimas ſolvendas eſſe Parochiali Eccleſiæ, limitatur: 1. ſi per legitimam præſcriptionem alia Eccleſia ſibi jus decimandi acquiſiverit, ut *in cap. Apoſtolicæ*, & *cap. cùm ſint homines extr. de decim.* 2. Si per privilegium ſive conceſſionem ſummi Pontificis, *cap. cùm contingat*, & *cap. cùm ex parte eod. tit.* 3. Si per pactum aut tranſactionem, *cap. 2. eod.*

Quod dictum eſt decimas prædiales præſtari ex fructibus prædio-

rum intelligi debet non tantùm de prædiis antiquis, ſed etiã de novalibus quæ noviter ad culturam redacta ſunt, cũ antea non colerentur, aut de quibus ſaltẽ non extat memoria, quod fuerint antea culta & aratro procisſa, *c. 1. de verb. ſignif*. Ex his enim præſtãtur decimæ Parochiali Eccleſiæ, intra cujus fines ſunt ſita, vide *cap. 1. extr. de cenſib.* Et ſolvuntur ex omnibus fructibus, ſive naturalibus, qui ſine cultura, ſive induſtrialibus, qui cum induſtria hominis naſcuntur; gratitudinis namque teſtimonium eſt in omnibus fructibus, etiam minutiſſimis, ſolvi decimas, & qui eas ſolvere renuit ſeu detrectat, in eum datur actio confeſſoria ad eas petendas, imò talis excommunicationis ſententiâ ad ſolutionem poteſt compelli, *cap. pervenit extr. de decim.*

Debentur & decimarum decimæ iterùm Epiſcopo: ſicut enim Parochiales Eccleſiæ de decem partibus accipiunt unam, ſic Epiſ-

Digitized by Google

copi de quatuor partibus decimarum accipiunt unam à Curionibus Eccleſiarum, *cap. conquerente de offic. ordinar. in 6.* Notandum tamen exemptos non ſolvere decimas pro prædiis exemptis quamdiu ea poſſident ipſi & colunt: Secùs dicendum, ſi ea locent, & aliis colenda tradant, *cap. licet de benignitate extr. de decim.* & *c. ult. in fin.* 16. *quæſt.* 1. Secùs etiam ſi privilegiati & exempti per 30. vel 40. annos decimas ſolverint, *c. ſi de terra 6. de privileg.* aut prædia aliena conduxerint, *c. in aliquibus* 32. *extr. de decim.* & *c. ult.* §. *fin.* 25. *q.* 2. aut Laïcus privilegium conceſſerit.

Quis ergo à præſtatione & ſolutione decimarum immunitatem & exemptionem concedere poteſt? Reſp. Solus Papa, *cap. tua extr. de decim.* non Imperator, aut alius Princeps laïcus; quia ut jus decimandi conferre nequit, ita nec ab obligatione præſtādę decimę Princeps laïcus poteſt eximere, *c. dudum* 31. *eod.* & *can. cum & plantare* 3.

de privileg. Poteſt & tale privilegiũ Papæ, ſi Eccleſiæ læſionem inferat, revocari, *c. ſuggeſtum 9. extr. de decim.* quia privilegia ſunt ita interpretanda, ne cui jus ſuum, & potiſſimùm Eccleſiæ, auferatur, *c.* 1. *cauſ.* 21. *q.* 1. imò & anſam dubitandi dabat, an Papa poſſet eximere à præſtatione decimarum, quod decimæ ſint juris divini, *c. tua extr. de decim.* Papa autem non poteſt diſpenſare contra jus divinum aut divinam legem; ergo nec privilegium concedere de non ſolvendis decimis. Sed Reſp. Papam non dare privilegium de non dandis decimis, poteſt verò earùm uſum & adminiſtrationem concedere pro vitæ humanæ ſuſtentatione, reſiduo pauperibus reſervato, ut ſæpè cõcedit Laïcis & Monachis. Reſp. 2. Papam poſſe remittere jus divinum, non tamen omninò tollere, quia immutabile eſt.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De primitiis & oblationibus.

PRimitię ſunt illa pars primorum fructuum ſive fœtuum & animalium quę pręſtatur Eccleſię, vel ſaltem olim pręſtabatur, debebatúrque ex pręcepto legis Moſaïcę pro beneficio quod accepit populus à Deo propter ingreſſum in terram Promiſſionis, vide *Exod.* 22. & *c. cauſa Carpenſis* 13. *de verb. ſignif.* Sed hoc nova lege immutatum eſt, & hodie primitię non ex obligatione, ſed ex voluntate & conſuetudine offeruntur, & vix eſt ut ſint in uſu.

Oblationes nihil aliud ſunt quàm rerum aliquarum ſpontaneę & voluntarię largitiones factę Deo, vel Miniſtris Eccleſię à Chriſtianis ad altare pro peccatis ſuis, *c. quia Sacerdotes* 10. *q.* 1. Oblationes itaque propriè ſumptę dicuntur quęcumque

que de propriis & licitis bonis Eccleſię à fidelibus offeruntur, ut ſolet fieri in ſolemnitatibus Miſſarum, in feſtis Sanctorum, ſepulturis, anniverſariis, & mortuariis, cùm panes, vina, pecunia, aliáque ſimilia offeruntur: ſed hoc debet fieri de licitis & propriis rebus & bonis, unde *Proverb. cap.* 3. habentur hęc verba: *Honora Deum tuum de ſubſtantia tua.* & *Tobiæ* 4. *De ſubſtantia tua fac eleemoſynam*, vide *cap. quia in omnibus de uſur.* ubi ſuſpenduntur Clerici qui oblationes accipiunt à manifeſtis uſurariis; nam apud Prophetam Michęam Deus ait: *Ponam idola ejus in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata ſunt.*

Cęterùm ejuſmodi oblationes offeruntur Sacerdotibus & perſonis Eccleſiaſticis, ut offerant ſacrificium, & orent pro dantibus, ſuntque in diſpoſitione Epiſcopi, ſicut & primitiæ.

CAPUT XXI.

De cenſibus, procurationibus, & exactionibus.

DE iſtis conſequenter hîc rectè agimus, quia annumerantur inter cætera jura quæ ad Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas pertinent.

Quid eſt ergo cenſus? Reſp. Cenſum generaliter ſumptum accipi pro omni penſione, quæ Prælatis de Eccleſiaſticis proventibus ſingulis annis præſtatur: ſpecialiter verò dicitur reditus, ſeu aliqua annua præſtatio, quæ ſolvitur ab Eccleſia Epiſcopo ſuo, vel Eccleſiæ Cathedrali in ſignum ſubjectionis, *c. 2. de cenſib.* Unde vocatur Cathedraticum, quia propter Cathedram Epiſcopalem, & in ejus commodum ſolvitur, *cap. conquerente extr. de offic. ordinar.* Conſti-

tuitur vel tempore fundationis, aut donationis, ob remunerationem; aut tempore conſecrationis, aut immunitatis indultæ in ſignum ſubjectionis. Et rectè fundationis, aut conſecrationis tempore imponitur, quia præter Ordinarij conſenſum, nec fundari, nec dedicari poteſt Eccleſia, nec patronus à præſentato poteſt aliquid temporale exigere, niſi cenſum, quem conſenſu Epiſcopi conſtat in ipſa fundatione eſſe impoſitum, *c. præterea 23. de jur. patronatus.*

Poteſt & Epiſcopus cum conſenſu Capituli, aut Eccleſiæ cui imponitur ſi ſit collegiata, novum cenſum conſtituere, aut veterem augere ex juſta cauſa, *Clem. fin. de reb. Eccleſ. non alien. c. 1. de cenſib. in 6. & cap. 1. de rer. permut.*

Sed cenſus qui imponitur debet eſſe moderatus, ut non majorem tertiâ partem beneficij deducat: id eſt, ut quantitas fructuum, quæ ex beneficio in penſionem detra-

hitur, non tertiæ partis reditus beneficij onerati ſummam excedat, ut ſoluto tali cenſu, beneficiato remaneat unde poſſit commodè vivere, jura Epiſcopalia ſolvere, & onera beneficij ferre, *c. 1. extr. de cenſib. & c. cùm cauſam 36. de præbend.*

Procurationes hoc loco, ſunt pręſtationes ſive exhibitiones ſumptuum neceſſariorum, quę fiunt Epiſcopo, vel alteri ejus nomine viſitanti Diœceſim, & Eccleſias ſubditas, *cap. feliciſ. de cenſib. in 6.* nam Apoſtolico teſtimonio ſuffragante, congruum eſt, ut à quibus ſpiritualia recipimus, eiſdem etiam temporalia noſtra communicemus. Sed tales ſumptuum exhibitiones debent eſſe moderatę, habitâ perſonæ & dignitatis viſitantis, & opum ejus qui viſitatur, & conſuetudinis, ratione, vide *c. Cùm Apoſtolus 6. de cenſib.* Et tamdiu dari debent, quoad viſitationis officium eſt perfectum; & etiã in pecuniâ (licet ſecus olim) ho-

diè ſolvi poſſunt, *dict. capite felicis.*

Ad exhortandum fideles, Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurãdam, & providendum Divino cultui, & Eccleſiarum reparationibus, tenentur Epiſcopi ſingulis annis, aut ſaltem de biennio in biennium, ſuos Parochianos viſitare per ſe, vel ſuos Vicarios, *Can. inter cætera, & ſeq. cauſ.* 10. *q.* 3. idémque cavetur *Conſtit. Gallica Bleſenſi art.* 32. Et Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui nomine procurationis, vel viſitationis plus juſto exigunt in victualibus, aut pecunia, duplum ejus quod receperunt Eccleſiæ intra menſem reſtituere jubentur, quo elapſo, ſi non paruerint, ab ingreſſu Eccleſiæ ſuſpenduntur, & inferiores qui eo munere funguntur, ut Archidiaconi, & Vicarij, ab officio & beneficio ſuſpenduntur, etiamſi ſponte ſolutio facta fuerit, *Can. exigit, & dict. Can. felicis de cenſib. in* 6. Vide *tot. tit. extr. de viſitat. per*

Prælatos facienda, & *Concil. Trid. cap.* 3. *ſeſſ.* 24. *de reform.*

Sed à quibus debentur ejuſmodi procurationes, ſive ſumptuum exhibitiones? Reſp: Deberi ab iis qui inviſuntur, *cap.* 1. *verſ. viſitatus de cenſib. in* 6. Etiam ab Oratoriis, ſi Ordinarium habeant Sacerdotem, Innoc. *in cap. fin. de cenſib.* Item à Capellis in Collegiatis Eccleſiis poſitis. Marian. *in tractat. de viſitat. num.* 85. *verſ.* 5. Et etiam à Monaſteriis, *cap.* 1. & *fin. de cenſib. in* 6. At verò laïci ſuo nomine ad procurationes non tenentur, ſecùs Sacerdotis ſui Parochi nomine, ſi is ſit inops, Gloſſ. *in dict. cap.* 1. *verſ. Laicos.* Et *in cap. placuit* 10. *quæſt.* 1.

Cęterùm à procurationis onere immunem ſe eſſe nullus ſubditus præſcriptione ſe tueri poteſt, *cap. cùm ex officij* 16. *de præſcrib.* Et *cap. cum inſtantia* 17. *de cenſib.* Poteſt autem privilegio Apoſtolico, *cap. cum inſtantia* 17. *de cenſib.* & *Clem.* 1. *eod.*

Exactiones denique hac in parte ſignificant ſubſidium aliquod exa-

Digitized by Google

ctum per Epiſcopum à ſubditis Eccleſiis propter ſupervenientiam alicujus neceſſitatis, cui ex reditibus Epiſcopatus ſatisfieri non poſſit; dicitúrque ſubſidium charitativum, propterea quod ex charitate potiùs, quàm ex debito præſtetur, veluti ſi Epiſcopus ſit redimendus ab hoſtibus.

CAPUT XXII.

De ſepulturis, & Canonica portione.

LOca ſepulturæ, loca religioſa dicuntur, & de jure civili quiſque locum purum faciebat religioſum ad libitum, inferendo & inhumando mortui cadaver, ſed jure Canonico locus purus fit religioſus Epiſcopi tantùm conſecratione, *cap. ad hæc 4. de relig. domib.* Olim etiam unicuique liberum erat ſibi locum conſtituere ad

ſepulturam, ſed tandem obtinuit inter Chriſtianos, ut certa loca ad id deſtinata fuerint, quæ appellantur cœmiteria, cujus inſtitutionis fuerunt variæ rationes; præcipua autem, ut cum fidelium viventium cor unum eſſe debeat, unus etiam ſit ſepulturæ locus: ea autẽ loca deſtinantur ab Epiſcopis, & ab illis conſecrantur, ut corpora quæ illuc invecta fuerint, à malis ſpiritibus & immundis non infeſtentur aut vexentur, & Sanctorum eorundem locorum parrociniis committantur, & ſic probandum eſt, quod dat occaſionem benefaciendi.

Sed habetne unuſquiſque liberam facultatem eligendi ſibi ſepulturam? Reſp. affirmativè, *c. 2. §. fin. de ſepultur. in* 6. & *c. placuit* 13. *quæſt.* 2. Etiam in alia Eccleſia quàm Parochiali; ſi tamen quis non eligat, in Parochiali Eccleſia, aut majorum ſepulchris eum ſepeliri oportet, *c.* 1. *extr. de ſepultur.* Sic Chriſtus natus in Bethleem, nu-

tritus in Nazareth, *Matth.* 2. ſepultus fuit Jeroſolymis in ſepulchro Joſeph. Sic etiam Abraham, Iſaac & Jacob in remotis exiſtentes, voluerunt ſepeliri in ſepulchris majorum, *Geneſ.* 25. 49. & 50. Legitur quoque in Geneſi Joſephum & Jacobum juſſiſſe, & præcepiſſe liberis ſuis, ut eorum oſſa transferant ab Ægypto in terram Chanaam, ubi primò habitabant. Huc ſpectat ille verſiculus.

Mollius oſſa cubant, manibus tumulata ſuorum.

Et tantùm Athei, perditi, & effrænati homines dicunt

Nec tumulũ curo, ſepelit natura relictos.

Sed nec uxor tenetur ſequi ſepulturam mariti, ſi velit aliam eligere, *Can. de uxore verò extr. de ſepultur.* Si tamen non eligat, cum ultimo viro ſeu marito, ſi plures habuit, eſt ſepelienda; utpote cujus domicilium & honorem reti-

net, *c.* 3. §. *fin. eod. in* 6. Si autem uxor ſibi ſepulturam non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri, *Can. unaquæque* 13. *quæſt.* 2. ut quos conjunxit unum conjugium, quorúmque mens una fuit in vita, conjungat & ſepulchrum, *dict. Can. unaquæque.* Quo etiam Canone frater & ſoror in eodem ſepulchro ſunt ſepeliendi: Quod ſi pater & avus ſint ſepulti in uno loco, proavus & tritavus in alio, filius cum patre & avo ſepelietur: Sin pater in uno loco ſepultus ſit, avus & alij majores in alio, ſepelietur cum avo. Quod ſi moriatur religioſus, is apud proprium monaſterium ſepulturæ eſt tradendus; niſi cùm moritur adeò ſit remotus, ut commodè ad illud exportari non poſſit, *cap. fin. de ſepultur in* 6.

Cæterùm ſepulturâ Eccleſiaſticâ regulariter fideles privari non debent: Dico regulariter, quia ex certis cauſis poſſunt; veluti ſi excommunicatus mortuus ſit, nec poſt mortem fuerit abſolutus: vel

ſi quis mortuus ſit hæreticus aut infidelis : vel ſi quis convictus ſit de uſura manifeſta, nec ipſe antequàm moreretur ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo dederit cautionem : vel ſi conſtet aliquem mortuum fuiſſe in actu peccati mortalis, nec ipſe pœnitentiæ ſigna ante mortem ediderit; & ſic latrones, fures, raptores, & propter ſua ſcelera & delicta morte affecti, ſeipſos interimentes, Judæi, Pagani, hæretici, uſurarij manifeſti, excommunicati & interdicti ab Eccleſiaſtica ſepultura arcentur; nam quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus, *c. ſacris* 12. *extr. de ſepultur.*

Sed an licet exigere vel petere aliquid pro ſepultura? Reſp. negativè, vide *cap.* 2. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. & *cap.* 12. Si tamen parentes aliquid ſponte dederint & offerant pro luminaribus, id accipi non vetatur, peti verò aut exigi prohibetur, Gregor. *lib.* 7. *regiſt. indict.* 2. *epiſt.* 51. *Ianuario Epiſcopo Sardaniæ* 9.

Hinc dicitur quod homo cùm terra ſit terram vendere non poſſit, vide *Canon. non ſatis extr. de ſimon.* ubi prohibetur vēditio ſepulturæ. Hinc Cicero in Verrem: *Dico mercedem funeris ac ſepulturæ conſtitui* nefas fuiſſe, & ſimoniam committit qui pro ſepultura pecuniam expoſcit aut recipit, aut pro collatione beneficiorum, vel pro datione olei ſancti, ſive extremæ unctionis ab hoc ſæculo migrantibus.

Sed hic advertendum cùm eligitur ſepulturæ locus in alia Eccleſia, quàm Parochiali, Canonicam portionem deberi Eccleſiæ Parochiali, hoc eſt debetur ei certa portio ex iis quæ relicta fuerunt alteri Eccleſiæ contemplatione ſepulturæ, & talis portio dicitur Canonica portio Parochialis, quæ debetur Parochiali Eccleſiæ, vel ipſius Curato & Rectori; & ratio eſt, ne Rectores Parochialis Eccleſiæ, vel ij, quibus incumbit cura animarum debitis fraudentur ſubſidiis, *C. dudum 2. extr. de ſepult.*

Digitized by Google

eſtque vel quarta pars ejus quod relictum eſt, vel tertia, vel dimidia, ſi eam legitima conſuetudo præfixit, *C. cùm ſuper* 8. & *c. certificaſti* 9. *de ſepult.*

Eſt & alia portio Canonica, quæ dicitur Epiſcopalis, quæ de relictis alicui Eccleſiæ pro anima, ab Epiſcopo, propter onus Epiſcopale quod ei incumbit, deducitur, *C. requiſiſti* 15. *de teſtam.* eſtque talis Epiſcopalis Canonica portio, quarta pars redituum & oblationum; ex reditibus enim & oblationibus fidelium in quatuor partes diſtributis, prima debetur Epiſcopo, ejúſque familiæ propter hoſpitalitatem; ſecunda debetur Clericis contemplatione ſedulitatis ſuorum officiorum: tertia impenditur fabricæ Eccleſiæ & religioſis domibus reparandis. Et quarta in pauperes & peregrinos erogatur, *Cap.* 23. *vobis cap.* 28. *de reditibus* 12 *q.* 2.

Sed hic notandum Canonicam illam portionem Epiſcopalem,

quæ debetur Epiſcopo, teſtatorem non poſſe prohibere, & licet expreſſerit, ſe velle Eccleſiæ, & non Epiſcopo, quid relictum eſſe, *cap. requiſiſti verſ. ſecus autem de teſtam.* tali tamen portioni Epiſcopali, quadragenaria obſtat præſcriptio *c. de quarta 4. de præſcrit.* At verò Canonica portio quæ debetur Eccleſiæ de relictis Epiſcopo, poteſt per teſtatorem prohiberi, ſi ſcilicet, is expreſſè voluerit quod relictum eſt, Epiſcopi illud eſſe, & non Eccleſiæ, *dict. cap. requiſiti §. ſi ab extraneo.* & ſi aliquid ſimpliciter à conjuncto ſeu propinquo fuerit relictum, in dubio non debetur Eccleſiæ Canonica portio, ſecus ſi ab extraneo, vide *dict. cap. requiſiſti.*

Sed quid dicendum ſi Epiſcopo & Eccleſiæ Cathedrali aliquid ſit legatum conjunctim? Reſp. Eo caſu fieri inter eo Canonicam diviſionem, etiam ſi teſtator hoc reliquerit Epiſcopo illud Eccleſiæ, niſi teſtatoris voluntati ſtare velint *dict. cap. requiſiſti §. quid ſi & ſeq.* cum

Eccleſiis autem inferioribus Epiſcopus non dividit ſibi relictum, ſed benè detrahit quartam de relictis ejuſmodi inferioribus Eccleſiis, *dict. cap. requiſiſti verſ. ſecus autem* ſi quidem ſimpliciter fuerit aliquid relictum; ſi verò teſtator aliquid Epiſcopo, aliquid Eccleſiis reliquit, & juſſit Epiſcopum eſſe contentum ſuo relicto, poſthabita detractione quartę, ſervanda eſt teſtaris voluntas.

Quęramus inſuper quid cenſendum ſi aliquid fuerit legatum aut relictum à defuncto generaliter in gratiam Eccleſię, vel pauperum ſine definitione loci, aut perſonarum? Reſp. Tunc censeri reliquiſſe Eccleſię, vel pauperibus civitatis, vel loci in quo degebat, & ſi ibi plura fuerint Xenodochia, pauperiori relicta applicabuntur: ſi pariter reliquerit defunctus aliquid, aut donaverit in nomine Dei vel Chriſti, hoc relictum pertinet ad Eccleſiam, ubi teſtator habuit domicilium vel ſi quis ſcripſerit

hæredem unum ex ſanctis, nec expreſſerit Templum ubi colitur ille Sanctus; tunc ſi ſit in illa civitate ei debetur, vel ſi plura tali Sancto Templa ſint dedicata, pauperiori cedit hæreditas: quod ſi non ſit in civitate, ſed in territorio, ei debetur, & ſi non reperitur in territorio, Eccleſia civitatis, in qua teſtator domicilium habuit, illam ſibi vindicabit vide *l. ſi quis* 49. *Cod. de Epiſc. & Cleric.*

CAPUT XXIII.

De Religioſis domibus & Monaſteriis.

DOmus contemplatione Religionis, & pietatis exſtructæ, piiſque uſibus deſtinatæ, dicuntur Domus Religioſæ & loca pia, ut Xenodochia, ubi advenę & peregrini recipiuntur; Orphanotrophia, ubi orphani & parentibus orbati

Digitized by Google

nutriūtur; Brephotrophia ubi pauperum, & expoſiti infantes aluntur; Noſocomia, in quibus ægroti pauperes à morbo curantur; Gerontocomia, ubi ſenes & valetudinarij ſuſtentantur & refocillantur, Ptochotrophia ubi inopes & mendici, item hoſpitales, & eleemoſinariæ vide *c. 23. qualibet §. ſancimus cauſ. 23. q. 8. & Clem. 2 de præbend.* iſta omnia loca in ſolatium miſerabilium perſonarum inſtituta ſunt, & ad Religionis cultum proximè accedunt officia beneficientiæ in perſonas miſerabiles, quarè ea loca iis proinde fruuntur privilegiis, quibus Eccleſiæ, *l. omnia privilegia 35. Cod. de Epiſc. & Cler.* ſuntque ſub tutela & poteſtate illius Epiſcopi, in cujus territorio ſita ſunt *c. omnes Baſilicæ* 16. *q.* 7. cujus eſt eorum locorum Præfectos & Rectores obſervare, & ab adminiſtratione fraudulentos vel negligentes deiicere, aliosque ſubſtituere, *l. ſancimus ſi quis 46. §. 3. Cod. de Epiſc. & Cler.* ſed hæc ſubaudi, niſi

ea loca ſingulari privilegio, ſe exempta, docere poſſint; *c. cum venerabilis 7. extr. de Relig. domib.* Poteſt etiam loci Epiſcopus, non obſtante privilegio, ſi Rectores illorum locorum, res eorum collabi ſinant, eos ſalubriter reformare & abſque privilegio ſi ſint, poteſt in eis, hominibuſque eis deputatis exercere, ea quæ ſunt legis Diœceſanæ; & ea quæ juris Epiſcopalis, vel juriſdictionis contentioſæ *c. 17. Monaſteria 18. q. 2.*

Quod dictum eſt de ejuſmodi piis locis & Religioſis domibus, idem dicendum de Monaſteriis & Clauſtris; ea enim etiam ſubſunt ei Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſunt ſita, *dict. c. cum venerabilis* niſi privilegio ſe ejus juriſdictione eſſe ſubſtracta probent, *c. 2. extr. de Monaſteriis.*

Sed an ſi Monaſteria ſint privilegio exempta à juriſdictione Ordinarij ſeu Epiſcopi loci, eo etiam privilegio gaudebūt capellę eis ſubjectæ? Reſp. Negativè *c. ex ore 17. de*

Digitized by Google

privileg. ſic etiam ſi privilegio à ſubjectione & juriſdictione Epiſcopi eximantur prædicta loca pia & Religioſæ domus, nec capellæ eis ſubjectæ eo privilegio gaudent; nec, ſi certæ rei, vel loci ratione, tale privilegium ſit conceſſum; aliæ res, aut loca alia, *c. cum Capella* 16. *de privileg.* eo potientur & etiam monachi Monaſterij exempti extra Monaſterium degentes, coram locorum ordinariis, in cauſis mercedum civibus & miſerabilium perſonarum, conveniri poſſunt Concil. Trid. *cap.* 14. *ſeſſ.* 7. poſſunt quoque Ordinarij quamvis Monaſteria ſint exempta, aut privilegiata in Abbates & præpoſitos negligentes animadvertere, & ad morum, ſecundum regulam, reformationem procedere *c. quanto* 7. *de offic. ordin. & c.* 1. *viſis cauſ.* 16. *quæſt.* 2.

CAPUT XXIV.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

PRæmitto hic 1. alienationis nomine venire rei venditionem, permutationem, donationē, obligationem & hypotecam, dationem in precarias, feudum & emphyteuſim, omnemque actum per quem dominium transfertur aut jus aliquod conſtituitur, *Can. nulli liceat* 5. *de reb. Eccleſ. alien.* &c.

Præmitto 2. Eccleſiam hac in parte, comparari cum pupillo; unde quemadmodum pupillus non poteſt validè alienare ſine authoritate tutoris & decreto judicis, & urgente ære alieno; ſic bona Eccleſiæ temporalia non alienantur ab Epiſcopo, niſi permittente Papa, conſentiente Capitulo, & poſtulante Eccleſiæ neceſſitate, vel

utilitate , & ſi non ſit capitulum, loco ejus adhibentur alij honeſtiores Clerici, *Can. nullus 17. quæſt.* 4. & *arg. l. ubi adſunt ff. de tutor. & curat. dat.* cujus rei ratio eſt quia Prælatus rerum Eccleſiæ non eſt Dominus, ſed quaſi uſusfructuarius & procurator tantum, qui Eccleſiæ conditionem meliorem facere poteſt, ſed non deteriorem, *Can. placuit 16. quæſt.* 3. ac proinde quod geſtum eſt, nullas habet vires.

Cum igitur rerum Eccleſiarum & piorum locorum uſus mediatè vel immediatè ſit ad cultum & miniſterium Deo exhibendum, utroque jure, ſcilicet, Canonico & civili conſtitutum eſt, ne illæ res quocumque modo alienentur, ſed certis adhibitis ſolemnitatibus: eæ ſunt, ut in alienatione facienda, in primis conſtare debeat apud Ordinarium ſive Epiſcopum cauſa alienationis, deindè exigendus conſenſus & ſubſcriptio Capituli, ſi agatur de re ad capitularem Eccleſiam pertinente, vel illius cujus in-

Digitized by Google

tereſſe poterit : quibus ſuppoſitis, accedere debebit authoritas Epiſcopi alienationem permittentis. Quod ſi rerum Eccleſiarum facta ſit alienatio temerè & citrà ſolemnem illam formam, gravibus pænis afficiendus erit qui alienaverit: privatur enim officio, deponitur beneficio, omnia damna inde illata rependere & reſarcire tenetur, obligatur ob evictionem ei in quem alienavit, ſi fuit ignorans & in bona fide, & ultra rei reſtitutionem, pretium datum amittit, *l. jubemus nulli Cod. de ſacroſ. Eccleſ. c. hoc jus porrectum* 10. *q.* 2. habetur etiam pro nulla hujuſmodi alienatio, *cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non aliena.* Sed de rerum Eccleſiarum alienatione, vide *Can. ſine exceptione* 12. *quæſt.* 2.

Sunt tamen aliquæ cauſæ ob quas rerum Eccleſiæ alienatio permittitur, & tres præcipuæ aſſignantur; neceſſitas ſcilicet æris alieni, quod ex fructibus Eccleſiæ non poteſt perſolvi, *c.* 2. *hoc ius cauſ.* 10. *q.* 2. pietas, ut ad redimendos

captivos, vel pro alendis pauperibus, in ſumma egeſtate, & tempore caræ annonæ, *Can. cum redemptor. Can. gloria, & Can. aurum* 12. *q* 2. tunc enim vaſa hominum & animæ ſunt quibuſcumque rebus pretioſiores, *l. ſancimus nemini Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* juxta illud dictum D. Ambroſij *aurum habet Eccleſia, non ut ſervet, ſed ut eroget & ut ſubveniat neceſſitatibus dict. c. aurum.* Tertia denique cauſa eſt evidens Eccleſię utilitas, ut quando alienatur res quę ſervando ſervari non poteſt, & quę magis oneri eſt Eccleſię, quam emolumento, *Can. terrulas* 12. *q.* 1.

Nota etiam Epiſcopum, vel alium Clericum, poſſe obligare ſuam Eccleſiam pro debitis à prędeceſſore ſuo in Beneficio pro neceſſitate Eccleſiæ contractis, non quidem tanquam hæres defuncti, ſed prout ſuccedit prædeceſſori in Beneficio.

Nota inſuper eſſe alios caſus leviores quibus licet alienare fun-

dum Eccleſiæ non magni valoris, etiam ſi non ſerventur prædictæ ſolemnitates v. g. ruinæ, prædia inculta, & ſilvę extirpatæ, poſſunt ſub annuo cenſu concedi in Emphyteuſin, & ſi biennium in ſolutione cenſus ceſſatum fuerit, poterit emphyteuta expelli, etiam ſine judicis authoritate; tunc enim dies pro homine interpellat emphyteutam, unde nihil proderit, ſi dicat ei nuntiatum non eſſe.

Item ſi ſint terrulæ incultæ, & minus utiles Eccleſiæ, aut res quæ ſervando ſervari non poſſunt poterunt ab Epiſcopo alienari ad majorem Eccleſiæ utilitatem, & licet accedat conſenſus Capitul, hoc potius ex honeſtate, quam neceſſitate, fit, *dict. Can. terrulas.*

Item feudum à vaſſallo alienatum, & difficilis recuperationis, poteſt Epiſcopus concedere alteri, ſub conditione recuperandi. Ex quo collige caſum, in quo licet jus cedere potentiori, contra communem Codicis regulam; ne ſcili-

ſcilicet, liceat potentiori, &c.

Item proventus Eccleſiaſtici poſſunt vendi ad aliquod tempus, & ad precariam concedi: quæ tamen renovanda erit ſingulis luſtris, ſeu de quinquennio in quinquennium; & quamvis precarium ſoluitur ad beneplacitum concedentis, ſecus precaria, niſi ſit irrationabilis.

Notandum ultimo, res Eccleſiæ temporales à poſſeſſore bonæ fidei, per ſpatium 40. annorum poſſe præſcribi contra Eccleſiam privatam, & 100. annorum contra Romanam, *auth. quas actiones Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* excipe decimas, primitias, & oblationes, quæ nullatenus præſcribuntur, & de iis diximus ſupra.

Digitized by Google

CAPUT XXV.

De Beneficiis Eccleſiaſticis & eorum diviſione.

AD majorem hic dicendorum intelligentiam, præmitto iſta 1. Beneficium præbendam, & titulum nihil re ipſa differre; uſu tamen loquendi in alia Eccleſia vocatur præbenda; in alia, beneficium, ſeu titulus.

Pręmitto 2. Beneficij propriè ſumpti & pro ut hic ſumitur, quatuor eſſe principia conſtitutiva, quorum primum eſt formale ſeu quidditativum quod conſiſtit in ipſo jure percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis: Secundum eſt principium effectivum talis juris quod eſt ſuperior Eccleſiaſticus in quo poteſtas conferendi hujus juris legitima reſidet: tertium eſt principium ſubjectivum ſive mate-

Digitized by Google

riale, quod eſt perſona Eccleſiaſtica & idonea ad jus illud acquirendum ; principium denique finale eſt miniſterium ſive officium Eccleſiaſticum propter quod datur Beneficium,

Præmitto 3. in Beneficio taliter ſpectato duo eſſe conſideranda, nempè ipſum jus quod Clerico conceditur, & ipſum miniſterium cui tale jus eſt unitum : jus autem quod beneficiario conceditur, eſt poteſtas quædam percipiendi ex bonis Eccleſiaſticis reditus, veluti ſuos: miniſterium verò cui unitum eſt tale jus, eſt quædam miniſtro Eccleſiæ poteſtas legitimè conceſſa exercendi aliquam functionem ſacram divino cultui & honori deputatam , unde patet ad conſtitutionem beneficij Eccleſiaſtici duplicem pertinere poteſtatem, alteram nempè percipiendi reditus ex bonis Eccleſiæ , & alteram exercendi functionem aliquam Eccleſiaſticam.

Præmitto 4. Beneficiarios ſeu

beneficiorum poſſeſſores æquipararari uſuariis, ſive uſufructuariis, quibus non niſi mortuis extinguitur vſusfructus aut uſus: ita etiam qui juſte poſſident beneficia, non poſſunt illa relinquere & abjurare quamdiu vixerint, *cap. unic. de Capell. Monach. in 6.* modò tamen ob aliquod grave crimen commiſſum ſe indignos non fecerint. Dixi (qui juſtè poſſident beneficia) quia beneficium Eccleſiaſticum ſine titulo Canonico non poteſt obtineri: ratio eſt (ut Pechius refert) quod in Eccleſiam Dei, non debet eſſe alius ingreſſus quam per oſtium, cujus claves præfectis Eccleſiæ conceduntur, qui ejuſdem clavibus Canonicis regulis inſtituendos in eandem Eccleſiam intromittunt; nec etiam ſine Canonica inſtitutione ſive titulo ſe quis defendere poteſt præſcriptione.

Præmitto 5. dignitates eſſe beneficia, quę juriſdictionem habent in foro externo ſuprâ ſubditos, ut

Epiſcopatus, Archiepiſcopatus Patriarchatus, Papatus, &c. Perſonatus ſunt præeminentiæ quædam in Eccleſia, quibus quidam Clerici præcellunt aliis & habent prærogativam ſedis ſine juriſdictione, ut præcentioratus: Officia ſunt beneficia illa quæ habent aliquam administrationem, annexam, ſed ſine juriſdictione, ut Officium Custodis, Sacriſtæ, & Theſaurarij in Eccleſia Cathedrali: Præſtimonia ſunt portiones aliquæ redituum Eccleſiaſticorum ab aliis ſeparatæ, quæ conferuntur Clericis ad ſtudia: commendæ denique ſunt beneficia, vel ſæcularia quatenus detinentur à regularibus, vel regularia, à ſæcularibus ex conceſſione ſummi Pontificis. Iſtis præmiſſis.

Quæritur 1. quid ſit beneficium? Reſp. Beneficium in genere, eſt donum liberaliter conceſſum; hic verò beneficium Eccleſiaſticum definitur jus perpetuum percipiendi reditus ſeu proventus ex bonis Deo dicatis, veluti in ſtipen-

dium laborum, in Officiis, miniſtrandiſque Sacramentis. Ratio verò cur beneficia fuerint inſtituta duplex fuit, prima, quod ut (inquit D. Paulus *nemo ſuis ſtipendiis & ſumptibus militare teneatur, & quod ſerviens altari, debeat de altari vivere.* Alia ſumitur ex æquitate naturali quæ exigit antidoralem remunerationem à laïcis; cum enim Clerici ſerviant ipſis in ſpiritualibus, juſtum eſt, ut laïci de ſuis bonis conferant aliquid ad vitam & ſuſtentationem Clericorum ut ita qui ſpiritualia nobis ſeminant, carnalia metant.

Quod autem beneficiorum inſtitutio ſit ex iure divino, & ordinatione Chriſti, id colligitur ex *Priori Epiſtola ad Corinth. cap.* 9. *verſ.* 13. ubi ſic loquitur Paulus. *Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant, & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* facit *cap. ex his* 22. *cauſ.* 12. *quæſt.* 1. ubi ſic

loquitur Gratianus, *lex enim Dei præcipit, ut qui altari deſerviunt, paſcantur de ipſo.*

Nota tamen quod quamvis jus percipiendi fructus ſive reditus ex bonis Deo dicatis, videatur Miniſtris Eccleſiæ conceſſum titulo mercedis, propter officium & miniſterium Eccleſiaſticum: tamen tale; ipſis conceditur præcipuè titulo ſuſtentationis: ſicut pecunia, quæ datur Sacerdoti ad faciendum ſacrum, datur ei potius titulo ſuſtentationis, quàm mercedis, ad evitandam labem ſimoniæ.

Quomodo dividuntur Beneficia? Reſp. Variè & quidem in ea quę habent dignitatem, ut Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Papatus, &c. & in ea quę non habent dignitatem, ut ſunt ſimplices Parochiæ & Rectoriæ: ſic etiam alia ſunt Canonicatui annexa, & alia ſine Canonicatu conferuntur.

Dividuntur 2. in curata quibus adjuncta eſt cura animarum, ut Epiſcopatus, & non curata, ut Ca-

nonicatus,& Capellaniæ. Cura autem animarum dicitur adhærere beneficio dupliciter, primò,quandò præfectus beneficio tenetur Parochianis adminiſtrare Sacramenta & Verbum Dei proponere & prædicare: ſecundò, quando horis Canonicis dicendis tantum obnoxius eſt, *cap. fin. de extr. de præbend.* in dubio autem an beneficium cenſeri debeat curatum, an non curatum ſi quæratur, dicas non cenſeri curatum ac proinde aſſerenti eſſe curatum, incumbere probationem Rebuff. *in prax. benefic. tit. ſæcularia beneficia*, *num.* 11.

Dividuntur 3. beneficia in compatibilia & incompatibilia: compatibilia dicuntur illa, quæ ſine diſpenſatione poſſunt obtineri & poſſideri à Clerico ſimul, ut ſunt Capellaniæ & alia ſimplicia beneficia: econtra incompatibilia dicuntur, quę non poſſunt ſe compati in eadem perſona ſine ſpeciali indulgentia Pontificis, ut ſunt Canonicatus & curata beneficia,quo-

rum quodlibet totam Clerici induſtriam & operam exigere præſumitur, unde ex his beneficiis incompatibilibus, unum habens, ſi aſſumat ſecundum, ſine diſpenſatione Papę, utrumque cum ea, primum ipſo jure vacat, *cap. quanto 3. de tranſlat. Epiſc. cap. conquerente 6. de Cler. non reſident*: quod ſi ea poſſidens pertinaciter retinere contenderit, ad aliud quodcumque beneficium Eccleſiaſticum admitti, ut indignus, non poteſt *cap. cum ſingula* 32. *de præbend. in* 6. Sed de hac diviſione vide me fuſius *in meo Erotematico Enchiridio de beneficiis & penſionib. Eccleſiaſticis ſect.* 4. *diviſione* 5. & *ſect.* 31. ubi hac ultima ſectione refero incompatibilium beneficiorum duplex genus.

Dividuntur 4. beneficia in ſæcularia & regularia: ſæculare beneficium dicitur illud quod inſtitutum eſt pro ſæcularibus Clericis, & regulare quod pro Religioſis; unde fit ut ſicut Clericus ſæcularis non poteſt obtinere beneficium regula-

re niſi in commendam, & quidem ex diſpenſatione particulari ſummi Pontificis, ità nec regulariter Religioſus aliter poteſt obtinere beneficium ſæculare. Unde illa regula ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus conceduntur. Dixi (nec regulariter) quia ex juſta urgente cauſa concionator regularis poteſt obtinere curatum beneficium authoritate Pontificis: & Dominicani, Franciſcani, & Auguſtiniani poſſunt ad Epiſcopatum promoveri, licet aliorum beneficiorum ſint incapaces, & ex Concil. Trid. poteſt ordinarius ſive Epiſcopus conferre, vel expreſsè Ordinem Profeſſo, vel aliis qui tamen tenentur Ordinem profiteri, & etiam regulare beneficium poteſt ſæculari commendari, & econtra de hac diviſione vide *cap. cum de beneficio & cap. cum ſingula de præbend. in 6. & Concil Trid. ſeſſ. 14. cap* 10. De jure autem communi omnia præſumuntur ſæcularia, cum primarius Clericorum ſive Sacer-

dotiorum ſtatus ſit ſæcularis.

Dividuntur 5. beneficia in manualia & non manualia ſive titularia. Hęc dicuntur quę conferuntur in titulum perpetuum, nec adimi poſſunt, niſi certis cauſis à jure permiſſis, Gloſſ. *in Clem. quia regulares de ſupplend. neglig. Prælat.* At illa, ſcilicet, manualia, dantur alicui auferenda ab eo ad nutum & arbitrium concedentis, aut ſaltem poſt aliquod tempus, & ſic non conferuntur in titulum perpetuum, quià conferuntur à ſuperiore retinente jus privandi cum lubebit: an autem ſine cauſa quis poſſit deſtitui & amoveri à ſuo beneficio manuali, latè diſputat Riccius *in prax. deciſ.* 398. ubi tamen affirmativè reſoluit.

Dividuntur 6. beneficia, & quidem ſecundum pragmaticam ſanxionem & Gallica concordata, in ea quæ ſunt villæ muratę, & non muratę: prioribus non prę feruntur niſi graduati; poſterioribus autem pręfici poſſunt quilibet, modò

ſint idonei, §. *ſtatuimus* 2. *de collat: in concord.* & hæc diviſio maximè conſideratur in Gallia.

Ex prædictis ſpeciebus beneficiorum, alia ſunt majora, alia minora; alia duplicia, alia ſimplicia; alia uniformia, alia difformia; alia dantur in commendam, alia in titulum; alia electiva, alia patronata, alia libera.

Beneficia majora ſunt quæ majoris ſunt dignitatis, pluriúmque redituum, ut Papatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatia, &c. Minora dicuntur illa, quæ minorem habent dignitatem, minoréſque proventus ſive reditus: Qui poſſident majora, Prælati, quaſi præ aliis elati, nuncupari ſolent, & talia beneficia ſunt reſervata collationi ſummi Pontificis, mediante tamen Regis nominatione in Gallia, ut latè traditur *in concord. ſub tit. de Reg. ad Prælat. nominat.*

Duplicia beneficia ſunt quæ curam animarum vel adminiſtrationem, dignitatem, perſonatum, vel

officium adjunctum habent.

Simplicia dicuntur ea, quæ nullâ juris quantitate ſunt affecta, ita ut neque ad juriſdictionem, neque ad adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum ſint inſtituta, ſed tantùm ad recitandas certas preces, & perſolvenda divina officia; nec enim habent dignitatem, perſonatum, aut officium ſibi adjunctum, ut Capellaniæ, & Præbendæ curam animarum non habentes: in dubio autem beneficium præſumitur ſimplex, non duplex, aut curatum.

Uniformia beneficia dicuntur quæ ſunt ejuſdem qualitatis, ut duæ dignitates, duo Canonicatus, &c. Econtra beneficia difformia ſive diſſimilia ea dicuntur quæ ſunt diverſæ qualitatis, ut dignitas & Canonicatus, beneficium curatum & ſimplex, Canonicatus & Capellania, &c.

Electiva beneficia dicuntur ad quæ moventur Clerici electione vel poſtulatione: ad patronata præ-

feruntur per inſtitutionem præſentante patrono : Libera verò beneficia ſunt quæ ex mera & libera voluntate ſuperioris conferuntur alicui per collationem.

In commendam regularia beneficia dantur ſæcularibus, & ſæcularia regularibus authoritate & diſpenſatione Papæ : Commenda verò eſt cuſtodia beneficij data ad tempus, veluti ad ſex menſes, donec idoneus Eccleſiæ præficiatur : duobus autem modis dicuntur beneficia commendata, vel ratione qualitatis beneficij quod datur, vel propter incompetentiam, & incõpatibilitatem beneficiorum : Duo beneficia de jure unus non poteſt tenere, quo caſu unum datur in titulum, & alterum in commendam, *Can. qui plures 21. quæſt.* 1. Titulus verò eſt juſtus modus obtinendi beneficium, veluti electio, collatio, præſentatio, inſtitutio. In Gallia autem titulus & commenda æquiparantur. Sed de prædictis beneficiorum ſpeciebus &

diviſionibus, & aliis qui vult ſcire fuſiùs, lubeat me videre in meo Erotematico Enchiridio *de beneficiis & penſionibus Eccleſiaſticis*, *ſectione* 4.

CAPUT XXVI.

De collatione Beneficiorum, & diverſis eorum collatoribus.

COllatio prout hic ſumitur, dicitur præbendæ ſeu beneficij Eccleſiaſtici ex pura & libera voluntate facta conceſſio. Convenit cum inſtitutione quòd utraque ſit ad concedendum beneficium perſonæ idoneæ, ſed differunt, quòd inſtitutio ſupponit pręſentationem patroni, per quam Ordinarius adſtringitur conferre beneficium ei qui præſentatus eſt, modò ſit idoneus, & non alij: Collatio verò fit liberè, & cui placuerit Ordinario. Fit enim jure Prælati, unde & do-

natio dicitur, *c. fin. de offic. Vicar. in 6.* Debet quoque fieri ab Ordinario purè & omni ſpe lucri ceſſante, & quacumque pactione rejectâ, ac ſine diminutione, niſi Pontifex, aut jus commune penſionem imponendam tolleret; ſed ut beneficium ſit vacans, oportet, quia beneficij non vacantis collatio, tanquam continens votum captandæ mortis alterius, eſt ipſo jure reprobata & nulla, *Can. 2. & per tot. tit. extr. de conceſſ. præbend.* Adeò ut ſi quis impetret beneficium viventis, aut in eo ſciens inſtitui ſe patiatur, ab Eccleſiaſtica communione ſit arcendus & deponendus, ſitque inhabilis, etiam eo mortuo ad aliud beneficium, Panorm. *in Can. 1. de conceſſ præbend.* Rebuff. *prax. benefic. tit. de reprob. benef. vivent. impetrat. num. 13. & ſeq.* Oportet etiam ut is cui beneficium confertur, non ſit innodatus cenſurâ privante acceptandi poteſtate, nec qui confert, innodatus cenſurâ privante poteſtate conferendi, & ſic ex par-

te collatarij requiritur habilitas, & ex parte collatoris, legitima poteſtas; collatio etenim facta à conferendi poteſtatem non habente, eſt nulla, & pro dato non eſt, quod ab eo datur, qui dare non poteſt, *Can. quod autem in fin. de jur. patronat.*

Quomodo dividitur collatio? Reſp. In ordinariam & extraordinariam: Ordinaria fit ab eo qui ordinariam poteſtatem habet, ut Epiſcopus, Capitulum, aliique Prę-lati, ſive ſæculares, ſive regulares, ex lege, vel conſuetudine, facultatem præbendas concedendi habentes, *c. poſtulaſtis* 15. & *c. cum noſtris* 6 *extr. de conceſſ. præbend.* Extraordinaria verò collatio fit contra conſuetum ordinem & modum, veluti ex reſcripto Pontificis, vel mandato Legati quando nimirùm Papa, vel ejus Legatus confert beneficium quod Epiſcopus, vel alius ordinarius collator poſſet conferre.

Sed circa beneficiorum collationem ſummus Pontifex tanquã

Ordinarius Ordinariorum, & diſpenſator omnium beneficiorum longè cæteris pleniorem habet poteſtatem. Non enim tantùm poteſt conferre beneficium cùm vacat, ſed etiam antequam ſit vacans, poteſt illud vel reſervare ſuæ diſpoſitioni, vel etiam conferre alteri in id tempus, quo beneficiatus fuerit mortuus: Legatus etiam Pontificis poteſt conferre & reſervare ſuæ proviſioni; ut conferre poſſit cùm fuerit vacans, non poteſt tamen illud conferre vivente adhuc beneficiato: At Epiſcopus & Capitulum poſſunt tantùm conferre beneficium cùm vacat: item ſummus Pontifex poteſt conferre beneficium purè adjecta die, & ſub conditione, *c. paſtoralis* 7. *queſt.* 1. Sed Epiſcopi & Legati collatio debet eſſe pura, *c.* 2. *de elect. in* 6. *c.*20. *per laïcos* 16. *quaſt.* 7. Eſt & hæc differentia inter Legatos, nimirùm quòd Legati miſſi vel nati, vigore ſuæ legationis non conferant, niſi ipſis ſpecialiter concedatur: at ve-

rò Legati de latere ſine ſpeciali concesſione, etiam Eccleſiaſtico patrono invito, conferendi facultatem habent, *c. dilectus 6. de offic. Leg. c. 1. eod. in 6.*

Quoad ſummum Pontificem ipſe beneficia confert interdùm motu proprio, & interdùm ad alterius petitionem: Motu proprio id facere cenſetur, ſi id expreſſum; hoc ſi factum, valida erit proviſio, licet impetrans beneficium, quod ante obtinet, tacuerit; etſi plura beneficia in eadem Eccleſia ſimul vacant, & aliud alio ſit majoris valoris, hoc cenſetur collatum; ſi omnia ſint æqualia, intra decem dies à tempore ſcientiæ ea vacare, poteſt eligere is cui beneficium confertur, *Can. ſi pluribus 24. de præb. in 6.* ad petitionem alterius ſi gratia ſit facta: nulla erit proviſio, ut ſubreptitia, ſi ſcienter beneficium quantumcumque modicum taceatur: &, ſi plura in eadem Eccleſia vacant beneficia, fit relatio ad illud quod minoris cenſebitur

valoris: ſi ſunt æqualia ad illud, quod is ad quem collatio eorum ſpectat, intra decem dies à tempore ſcientiæ gratiam conceſſam, elegerit, *dict. cap. ſi pluribus* 24.

Quoad ſummum etiam Pontificem jus conferendi ad ipſum pertinet vel jure præventionis quando dat expectativam ad beneficiũ vacaturum, *ut in cap. dudùm de præb. in* 6. vel jure concurſus, quando Papa concurrit cum Ordinario in poteſtate conferendi, quo caſu, v. g. quando Papa & Ordinarius ſimul & eodem tempore pluribus conferunt idem beneficium, tunc prefertur Papa Ordinario ceteris paribus, ſic etiam cui Papa contulerit prefertur proviſo ab Ordinario; ſed & hic eſt locus preventioni, adeò ut qui primus contulerit Ordinarius, vel Papa, illius collatio in prejudicium alterius ſubſiſtat, ex illa regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure, cap. qui prior. de reg. jur. in 6.* Et ſic attendendum cui prius beneficium fuerit colla-

tum. Sed hoc limitandum ſi proviſo à Papa obſtet regula de veriſimili notitia, quia tunc anterior Papę proviſio nullius eſt roboris aut firmitatis, nec pręjudicat poſteriori proviſo ab Ordinario. Rebuff. *in concord. de mandat. Apoſtol.* §. *declarantes in verb. jure præventionis, & in procem. concord. in verb. facti.* Ceſſat etiam jus illud pręventionis Papę, ſi beneficium ſit juris Regaliæ ex privilegio.

Item ad ſummum Pontificem pertinet jus conferendi jure devolutionis ſeu devoluti, quando nimirùm ob negligentiam Ordinarij, ſive alterius Prælati qui non contulit ſuo tempore, facultas conferendi devoluta eſt ad ſummum Pontificem jure denique reſervationis collatio ad Papam ſpectat, quando ipſe aliqua beneficia, & ex certis cauſis vacantia ſibi reſervavit conferenda. Sic Epiſcopatus & aliæ dignitates qu ſunt in Eccleſia poſt Epiſcopalem majores, ei reſervatæ ſunt per *reg. 3.*

Cancellariæ. Sed in Gallia Epiſcopatus & aliæ dignitates majores à Rege dantur ex concordatis. Item & ea beneficia dicuntur Papæ reſervata, quæ vacant per promotionem ad beneficium aliud quod ab ipſo Papa ſit collatum, necnon etiam ea quæ à Cardinali, Curiali, vel familiari ſummi Pontificis detenta, & vacare cœperint: necnon ea quæ vacant per mortem Legati, Curſoris, vel alterius ad Curiam Romanam accedentis. Item quæ vacant per depoſitionem, privationem, vel tranſlationem factam authoritate ſummi Pontificis. De quibus omnibus vide *extravag. ad regimen de præbend.* Item reſervata dicuntur, quæ vacant per indignam collationem, vel electionem, *cap. cùm in cunctis*, §. *Clerici de elect.* Quibus omnibus caſibus beneficia dicuntur vacare in Curia Romana propter jus quod ſummus Pontifex habet illa conferendi ad aliorum excluſionem. Dicuntur autem beneficia

Digitized by Google

vacare in Curia Romana, quæ ab illis poſſidebantur; qui in Curia Romana, vel in viciniori loco per duas diætas legales, id eſt, per duorum dierum iter (computando vicena millia paſſuum in ſingulos dies, id eſt, 20. milliaria Italica) dum ad Curiam irent vel redirent, è vivis exceſſerunt, juxta declarationem Bonifacij VIII. *in Can præſenti* 34. *de præbend. in* 6. Si tamen ſummus Pontifex beneficia ejuſmodi vacantia in Curia Romana intra menſem à die vacationis, & non ſcientiæ, non contulerit, eo menſe elapſo, illa poterit Ordinarius conferre, juxta *cap. ſtatutum de præbend. in* 6. Zerola *in prax. Epiſcopal. part.* 2. *in verb. reſervatio.*

Beneficia quoque quæ ſunt juris patronatus Eccleſiaſtici fuerunt reſervata Pontifici ad octo menſes ſingulis annis, in quorum aliquo ſi vacaverint, erit ipſius Pontificis conferre, quæ reſervatio extenditur etiam ad beneficia libera & collativa: menſes autem illi ſunt

Digitized by Google

Januarius, Februarius, Aprilis, Maius, Julius, Auguſtus, October & November. Illa tamen regula octo menſium ceſſat in beneficiis monocularibus, hoc eſt in iis beneficiis, quæ cùm ſint de patronatu vel collatione alterius, unica ſunt, ita ut patronus collator de uno ſolo poſſit diſponere. Non enim præſumitur Papa voluiſſe prævenire talem collatorem monoculum, ut loquuntur doctores, niſi id in literis expreſſerit, Selva *part.* 3. *quæſt.* 11.

Ceſſat etiã in illis beneficiis quæ ſunt juris patronatus Laïcorũ ſolũ, aut Laïcorum & Eccleſiaſticorũ ſimul, ne Laïci deterreãtur à fundãdis & dotandis Eccleſiis, ſi videant ſibi aliquid de ſuo jure diminui.

Inſuper circa beneficiorum collationem ſequentia notanda, 1. quod ſecundum pragmaticam ſanxionẽ & Gallica Concordata, beneficia quæ ſunt villæ muratæ non conferuntur niſi graduatis §. *ſtatuimus de collat. in Concordat.* 2. quod

beneficia

beneficia quæ vacant menſibus Januario & Julio, Aprili & Octobri, debeant etiam conferri graduatis, ita ut ſi aliter fiat, collatio ſit nulla, & jus conferendi devoluatur ad ſuperiorem, ſi graduati ad eum recurrant: ſunt autem graduati, qui in aliqua approbata univerſitate per tempus legitimum ſtuduerunt, & atteſtationem ſui ſtudij legitimam obtinuerunt: ſed debent ante vacationem Beneficij Ordinariis collatoribus ac patronis Eccleſiaſticis fidem facere literarum ſui gradus, & ſingulis annis in quadrageſima per ſe vel procuratores ſuos, nomina & cognomina inſinuare, & hæc ſi omiſerint, in vim gradus beneficium hoc anno obtinere non poſſunt: 3. Ex prædictis Concordatis, Rex Galliarum, vacante Epiſcopatu confert beneficia jure Regni, & Epiſcopatus bonorum habet adminiſtrationem jure Clientelarum & feudorum (excipe tamen hic beneficia curata) at verò proviſiones beneficio-

rum, quorum collatio ex Concordatis ob Regem Chriſtianiſſimum ſpectat, ſemper impetrantur à ſummo Pontifice ſuper nominatione Regiâ, & quamvis ad obtinendum Epiſcopatum de jure communi requirantur 30. anni, ex Concordatis ſufficit attigiſſe 27. annum, modò promotus ſit graduatus, & morum probitate & ſcientia polleat & emineat. Qui plura ſcire cupit ex Concordatis in Gallia obſervanda, lubeat me videre *in meo Enchiridio Erotematico de Beneficiis & penſionibus Eccleſiaſticis, ſect.* 23. & *ſeq.*

CAPUT XXVII.

De Inſtitutione & jure Patronatus.

SI Beneficia ſunt libera, ad illa pervenitur per viam collationis; ſi in alterius Patrocinio & tutela, per viam inſtitutionis, de quâ nunc dicendum.

Digitized by Google

Quid eſt ergò inſtitutio? Reſp. Inſtitutio, pro ut hic ſumitur, eſt juris alicujus ſive beneficij Eccleſiaſtici juri Patronatus ſubjecti, ad præſentationem Patroni, facta conceſſio ſive tranſlatio: cui autem jus inſtituendi competit, debet præſentatum, ſi ſit idoneus, recipere, *cap. ſignificaſti* 18. *extr. de jur. Patronat.* Si non ſit idoneus, poteſt eum repellere: an autem ſit idoneus, inſtituentis eſt examinare. Verum Ordinarij inſtitutio, ſpreta Patroni præſentatione, facta, non ſubſiſtit, ut nec à Patrono propria authoritate facta inſtitutio, *cap.* 1. *cauſ.* 16. *q.* 7.

Sed ut Canonica ſit inſtitutio deſiderantnr iſta. 1. quod legitima ſit poteſtas in inſtituente, qui regulariter eſt Epiſcopus ſive loci Ordinarius *cap. fin. extr. de jur. Patronat.* competit etiam jus inſtituendi Vicario ejus generali, *cap.* 3. *extr. de inſtitut.* hoc enim ex eo quod talis conſtitutus ſit, jus inſtituendi habet, *cap. cum in generali de Offic. Vicar. in* 6.

Digitized by Google

Sed non ita dicendum de poteſtate conferendi, *Can. ult. de offic. Vicar. in 6.* nonnunquam etiam poteſtatem inſtituendi habet Capitulum, quandò nimirum ſedes Epiſcopalis vacat, *cap. 1. de conceſſ. præbend. in 6.* Nec eſt inſolitum, ut etiam aliqui alij, vel conceſſione ſummi Pontificis, vel legitima preſcriptione, vel ex conſuetudine jus inſtituendi habeant, Hoſtienſ. *in §. quis poſſit extr. de inſtitut.* Requiritur 2. ad validitatem Canonicæ inſtitutionis, quod beneficium fuerit vacans: requiritur 3. quod ſit juri Patronatus ſubjectum, & quod præſentatio fuerit facta à Patrono, & quidem intra tempus legitimum. Eſt autem præſentatio, hac in parte, perſonæ per Patronum Epiſcopo, vel alteri ad quem inſtitutio pertinet, legitimè facta exhibitio, ut ei de beneficio vacante provideat: vacante enim Eccleſia ſeu beneficio juris Patronatus, debet Patronus intra tempus certum & præſcriptum præſentare Cleri-

cum inſtituendum, quem confidit idoneum, ei, ad quem ſpectat inſtitutio, quę facta preſentatione debet ſubſequi, ſed intra quod tempus legibus non eſt definitum, ſed arbitrio judicis relinquitur, Abb. *cap. 2. extr. de conceſſ. præbend.*

Sed cum dixerimus inſtitutionem fieri ad præſentationem Patroni, hic haud ignorandum Patronum & jus Patronatus aliter accipi jure Civili, & aliter jure Canonico: jure Civili, Patronus dicitur Dominus qui ſervum manumiſit ſeu libertate donavit, & jus Patronatus dicitur jus quod conſtituitur & exurgit ex manumiſſione: ſed jure Canonico Patronus dicitur qui jus habet præſentandi ad beneficium Eccleſiaſticum vacans perſonam aliquam idoneam, & illa facultas præſentandi dicitur jus Patronatus quod ſpirituale eſt.

Jus Patronatus, juxta acceptionem juris Canonici, dividitur in jus Patronatus laïcorum, quod

competit laicis, aut etiam Clericis, ſed non ratione beneficiorum aut Eccleſiæ, Garcias, 5. *part. cap.* 1. *num.* 592. & in jus Patronatus Clericorum, quod competit Clericis, non ratione propriorum bonorum, ſed ratione & intuitu bonorum Eccleſiaſticorum, vel Eccleſiæ, licet originem habuerit ex patrimonio laici. Quod ſi non appareat, quâ ratione jus Patronatus competat, attenditur jus ſucceſſionis: nam ſi per ſucceſſionem deferatur, præſumitur laïcum, non Eccleſiaſticum, quia jura Eccleſiaſtica jure ſucceſſionis non deferuntur, *Can.* 1. *extr. de præbend.* Rebuff. *prax. benefic. tit. de præſent. num.* 6.

Sed duæ illæ ſpecies in multis cōveniunt, & etiam differunt: conveniunt 1. in commoditate præſentandi quæ competit ex jure Patronatus, & quæ conſiſtit in facultate præſentandi: 2. quod tam Patronus laïcus, quam Clericus jurare poſſit & debeat, ut beneficio Eccleſiaſtico ſive Eccleſiæ Patro-

Digitized by Google

natæ ritè deſerviatur, adeò ut ſi rector fuerit negligens, Patronus de eo conqueri poſſit, & ſi aliquid ex Eccleſiæ collatis defraudet, eum honeſta conventione compeſcere, aut Epiſcopo, vel judici competenti denunciare *Can. filiis* 16.*q.* 7. Tertia differentia eſt, quod Patrono tam laïco, quam Clerico ad egeſtatem redacto debeantur alimenta, ab Eccleſia juri Patronatus ſubjecta, *cap. nobis* 25. *de jur. Patronat.* & *Can. quicumque* 16. *quaſt.* 7. conveniunt denique Patronus laïcus & Clericus, quod utrique debeatur honos & primus locus in proceſſu publico qui fit in Eccleſia Patronata. Huc ſpectant illi verſiculi.

Patrono debetur honos, onus, vtilitaſque
Præſens ut præſit, defendat, alatur egenus.

Differunt autem & inter ſe diſconveniunt Patronus Clericus ſive Eccleſiaſticus & Patronus laïcus, 1. quod ille habeat ſex menſes

Digitized by Google

ad præſentandum; hic verò habeat tantum quatuor, *c. unic. de jur. Patronat. in 6.* illo ſpacio computando ex quo noverit Patronus vacare beneficium, & non fuerit impeditus præſentare, *cap. quia extr. de conceſſ. præbend.* elapſo verò illo ſpacio Patronus pro illa vice privatur jure præſentandi, & ad Ordinarium ſive Epiſcopum jure devoluti tranſit poteſtas conferendi, vel etiam ad eum, ad quem ſpectat inſtitutio, licet ſit Epiſcopo inferior, & ab exemptis fit devolutio ad Papam, *Can. licet*, & *Can. ſicut extr. de neglig. Prælat.* 2. Differunt Patronus laïcus & Clericus, quod ille variare poſſit, non quidem privativè, hoc eſt, revocando præſentationem à ſe factam, & ab ea recedendo, ſed cumulativè, puta, præſentando aliam atque aliam perſonam idoneam, ita ut liberum ſit Ordinario inſtituere, quam voluerit; hic verò, ſcilicet Patronus Clericus, variare non poteſt, ſed ex quo unam perſonam præſentavit,

nec aliam addere poteſt nec ſuam præſentationem revocare, vide *cap. unic. de jur. Patronat.* Differunt deniquè Patronus laïcus & Clericus, quod juri Patronatus Clericorum ſatis facilè & frequenter deroget ſummus Pontifex, & hoc maximè factum per regulam Cancellariæ quę dicitur octo mēſium, eâ nempè de cauſâ, quod eſt perſonæ illæ, & jus illud magis principaliter ab ipſo ſummo Pontifice pendeant: juri verò Patronatus laïcorum, non tam facilè derogat Pontifex, ob id nimirum, ne laïci deterreantur à dotandis aut fundandis Eccleſiis.

Sed quot modis acquiritur jus patronatus? Reſp. Acquiri ab initio tribus potiſſimum modis, fundatione ſcilicet, conſtructione, & dotatione. Hinc verſiculus ille.

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Acquiritur & conſtituitur fundatione, quando datur fundus ad

conſtruendam Eccleſiam, *Can. Abbatem. 18. quæſt. 2.*

Acquiritur conſtructione, quandò aliquis ſuis ſumptibus & expenſis Eccleſiam extruit, *Can. piæ mentis 16. quæſt. 7. & Can. Monaſterium ead. cauſ. & quæſt.*

Jus patronatus conſtituitur dotatione, quando quis proventus & facultates conſtituit ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, ad decorem ejus, & Divina Officia celebranda, *Can. nemo de conſecrat. diſt.* 1.

Item acquiritur jus patronatus reparatione & reſtauratione Eccleſiæ penitus dirutæ, vide Gloſ. *in cap. quoniam extr. de jur. Patronat.* ſed prædicta procedunt ſi Epiſcopi ſeu Ordinarij conſenſus intervenerit, *dict. Can. piæ mentis.*

Acquiritur etiam per præſcriptionem, quæ ſi titulatur, complebitur 40. annis; ſi titulus deſit, tempus immemoriale requiritur, *cap. querelam 24. de elect.*

Acquiritur demum conceſſione & privilegio ſummi pontificis,

ob ſummam ejus in omnes Eccleſias & beneficia poteſtatem & plenariam diſpoſitionem, *cap.* 2. *de præbend. in* 6. ſed de hoc privilegio Papæ. Vide Concil. Trid *ſeſſ.* 14. *cap.* 12. *& ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reform.*

Quatenus verò jus patronatus jam conſtitutum eſt, variis etiam modis acquiri poteſt, 1. ſucceſſione, tam teſtamentaria, quam legitima; tranſit enim ad ſucceſſores, quia licet ſpirituali annexum ſit, tamen ex conceſſione ſpeciali ſummi pontificis, redditum eſt tranſmiſſibile, etiam ad ſucceſſores laïcos, ut illa ratione invitentur ad fundandas & dotandas Eccleſias, vide *cap. quoniam* 3. *extr. de jur. Patronat* & *Clem.* 2. *eod.* acquiri etiam poteſt & tranſit jus Patronatus, donatione, & legato, *cap. ex inſinuatione* 15. *extr. eod.* modò tamen ſi donetur, vel legetur laico, adſit, vel ex intervallo accedat conſenſus Epiſcopi, qui tamen non requiritur, ſi Eccleſiæ, vel loco pio donetur, vide *cap. nullus, & quæ ibi*

notant Gloſ. & DD. extr. eod. & *cap. unic. eod. in* 6. Item tranſit & acquiri poteſt permutatione, dummodò fiat cum alia reſpirituali, vel quæ ſit ſpirituali annexa , nam ſi cum re temporali fieret, committeretur ſimonia, vide *cap. ad quæſtiones extr. de rer. permutat*: acquiri demum poteſt, & tranſit emptione venditione, *cap. cum ſæculum extr. de jur. Patronat.* non quidem quod per ſe emi aut vendi poſſit, quia ſic vendi nequit ſine ſimonia, *cap. quia Clerici 6. & cap. de jur. 16. extr. eod.* vide Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 9. verſ. nec dictum jus Patronatus.* Sed quod contineatur in aliquâ univerſitate bonorum quæ diſtrahitur, ut cum venditur hæreditas , in quâ venditione illud ſedulò obſervandum , ne pretium, vel pars pretij pro tali jure conſtituatur, alioqui committeretur ſimonia.

Quia nihil tam firmum quod non rumpatur, & quidquid ab hominibus ligatur ſolubile eſt, *auth. nuptias Cod. de nupt.* ideò hic ſcien-

Digitized by Google

dum jus patronatus multis etiam modis amitti, & quidem 1° ob crimen læſæ majeſtatis, vel etiam hæreſeos, ubi hæretici non tolerantur, *Can. urgentis* 10. *de hæret. auth. Gazaros Cod. eod. l. quiſquis, & l. penult. cod. ad leg. Iul. Majeſt.* 2° Si patronus intulerit violentas manus in rectorem Eccleſiæ patronatæ, ſive per ſe, ſive per alium, occidendo, aut mutilando, niſi forſan ad ſui defenſionem, vide *cap. in quibuſdã extr. de pœn.* 3. Si patronus voluerit jus ſuum transferre in alium per ſimoniam, *c. 6. extr. de jur. patronat.* vide Concil. Trid. *dict. ſeſſ. 25. c. 9. de reform. verſic. dictum jus*, &c.

Cæterùm ratione juris patronatus, ſicut & aliorum incorporalium, competunt duæ actiones; u a confeſſoria, ex parte ejus qui aſſerit ſibi deberi tale jus; & altera negatoria, ex parte ejus qui aſſerit Eccleſiam eſſe liberam, & juri patronatus non obnoxiam. Et hæc de jure patronatus pro tenore inſtitutæ brevitatis hic dicta ſuffi-

Digitized by Google

ciant, qui vult fuſiùs, videat me *in meo Erotematico Enchiridio de beneficiis & penſionibus Eccleſiaſt. ſect.* 14.

CAPUT XXVIII.

De modis quibus beneficia vacăt, eriguntur, & extinguntur.

QUia beneficij non vacantis nec collatio, nec inſtitutio valet, ideò ſcire conducit modos, quibus beneficium vacare contingit, Rebuff. *tit. requiſita ad collationem bonam à num.* 49. *& in concordatis, tit. de Reg. ad prælatur. nominat. §. Monaſteriis verb. vacantibus*, per plures recenſet, poterit videri, interim ego aliquot hîc recenſebo.

Dico igitur 1. vacare beneficium per mortem naturalem beneficiati; nec enim ut bona temporalia, ſic beneficia jure hæreditario ad ſucceſſorem tranſeunt, *cap.* 1. *de præbend.* 2° Si beneficiatus conſecu-

tus fuit beneficium incompatibile cum eo quod antea habebat, ejúſque poſſeſſionem ſit adeptus; tunc enim ipſo jure primum vacat, *cap. cùm in cunctis §. cum verò extr. de elect.* 3° Si beneficiatus contraxit matrimonium, *tot. tit. extr. de Cleric. conjugatis.* 4° Si beneficiatus fuerit religionem profeſſus, profeſſio enim ad hoc requiritur, nec ſufficit ſolus ingreſſus. 5° Si promotus ad Parochialem Eccleſiam non ſuſceperit Presbyteratum intra annum. 6° Si beneficiatus authoritate propriâ ex uno beneficio ad aliud ſine conſenſu ſuperioris ſe transtulerit, *Can ſi quis Epiſcopus 7. quæſt. 1.* Qui enim ab uno beneficio ad aliud ſic tranſit, utroque debebit carere, hoc eſt, habito & ambito. 7° Vacat beneficium, quando beneficiatus ſponte & cum authoritate ſuperioris beneficio ſuo renunciat; eſt enim renunciatio proprij juris ſeu beneficij ſpontanea dimiſſio, facta authoritate ſuperioris, ita acceptantis, *tot. tit. extr. de renuntiat.*

Digitized by Google

Dico quod ſit ſpontanea dimiſſio, ut diſtinguatur à depoſitione, per quam invito beneficium aufertur: Dico, authoritate ſuperioris, quia ſicut nemo authoritate propriâ ſe debet intrudere in beneficium, ita nec privata authoritate, ſed ſui ſuperioris illud relinquere debet. Superior autem hac in parte eſt ſummus Pontifex, vel Legatus à latere, vel Epiſcopus, aut Capitulum. 8° Contingit vacare beneficium ſi beneficiatus homicidium commiſerit, tunc enim privatur ſuo beneficio, ſed ita demum, ſi judex poſt legitimam cauſæ cognitionem illud adimendum pronunciaverit, *cap. Clericis extr. ne Clerici vel Monachi.* Idem dicendum de receptatore vel fautore hæreticorum, *cap. excommunicavimus* 1. §. *credentes de hæret.*.

Iſti ſunt modi ſpeciales quibus beneficium vacare contingit, & revocari poſſunt ad quatuor generales: Omne namque beneficium vacat, vel ipſo jure ſive per diſpo-

Digitized by Google

ſitionem juris, per ſententiam judicis per factum tantum, & per jus & factum ſimul: ipſo jure, quando poſſeſſor beneficij ſine alia judicis declaratione re ipſa privatur beneficio, puta propter beneficiati ſeu intitulati delictum, ſcilicet ſimoniam, hæreſim, apoſtaſiam, &c. vel quaſi delictum, ut ſi bona Eccleſiæ alienet, vel cùm ſe ingerit adminiſtrationi beneficij ante confirmationem, &c.

Per ſententiam judicis dicitur vacare beneficium, quando ob gravem cauſam judex cum cognitione cauſæ poſſeſſorem privat, ut ſi Clericus homicidium perpetraverit. Sed hic advertendum magnam eſſe differentiam, quod beneficia vacent ipſo jure, aut per ſententiam judicis: primo enim caſu judicis ſententia requiritur tantùm ad declarationem, quod talia beneficia ſint vacantia, & ex qua cauſa, adeò ut retrotrahatur ad tempus delicti, vel cauſæ; idcircò ſi beneficiatus ab illo tempore ali-

Digitized by Google

quos fructus perceperat, eos reſtituere cogetur. Secundo verò caſu, quo quis per ſententiam judicis tantùm privatur, beneficiatus non reſtituit fructus ante illam perceptos, quia eos ſuos effecit, verè enim adhuc beneficiatus erat. Altera differentia notabilis eſt, quod beneficium vacans ipſo jure, ſtatim impetrari poſſit, cùm verò vacat per ſententiam, & causâ pendente, non poteſt obtineri ante ſententiam, alioqui impetratio erit nulla.

Ipſo facto tantùm vacat beneficium per ſpoliationem, quando beneficiatus vi & metu coactus relinquit beneficij ſui poſſeſſionem, ſed eo caſu beneficium debet ſpoliato reſtitui, non in alium transferri, *cap.* 2. *& ſeq. de his quæ vi metúſve cauſ. fiunt*, *vide cap.* 2. *&* 12. *de reſtitut. ſpoliat.*

Per jus demum & factum ſimul dicitur vacare beneficium, quando per mortem naturalem, aut renunciationem titularij deſeri-

tur, autquando quis per crimen factus eſt inhabilis ad beneficiũ, ipſo jure privatur per ſententiã judicis. Sed de iſtis omnibus modis tam ſpecialibus, quàm generalibus, qui vult latiùs, me videat *in meo Erotematico Enchiridio de beneficiis & penſionibus Eccleſiaſticis*, *ſect*. 32.

Sed quot & quibus modis beneficia eriguntur? Reſp. Tribus potiſſimùm, fundatione ſcilicet, reſtitutione, & immutatione, *Can. cum dilecto* 25. *de præbend.* Fundatione, quando de novo beneficium fundatur: reſtitutione, cùm beneficium extinctum, vel ſuppreſſum in priſtinum ſtatum reſtituitur, vel unita beneficia diſſolvuntur: Immutatione denique beneficium erigitur, quando forma beneficij, vel qualitas mutatur, ut ſi Abbatia fieret Epiſcopatus, vel ex Epiſcopatu erigeretur Archiepiſcopatus: vel beneficium regulare fit ſæculare, vel contra. Interdum etiam ſimplex Eccleſia erigitur in Curatam & Parochialem, ob neceſſita-

Digitized by Google

tem, vel majorem plebis commoditatem, & ſic variis modis beneficiorum ſtatus mutatur, ut declarat Paſtor. *de benefic. tit.* 4.

Cæterùm erecta beneficia relinquuntur curæ & ſolicitudini illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſunt, *Can. omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. niſi privilegio aliquo ſint exempta, quo caſu ſummi Pontificis diſpoſitioni ſubſunt, *Can. præpoſuit* 4. *de conceſſ. præbend.*

Quoad beneficiorum extinctionem, dico eam etiam ob varias cauſas contingere; velut per ædiũ ſacrarum deſtructionem, ut ſi ædes ſacræ igne, terræ motu, aut alio vitio perierunt, vel per occupationem ab infidelibus & hoſtibus fidei; licet enim ædes ſacræ non ſic fiant prophanæ, *Can. quæ ſemel* 19. *quæſt.* 3. quamdiu tamen beneficium ab hoſtibus detinetur, pro extincto habetur: Contingit etiam beneficiorum extinctio, quando duo beneficia in perpetuum conjunguntur & uniuntur propter unius ino-

Digitized by Google

piam & inſufficientiam ad alendum beneficiatum, ita ut beneficium accedens alteri per illam conjunctionem amittat titulum, nec ampliùs per ſe vacare dicatur, vide *Can. expoſuiſti 33. §. ſi evidens de præb. & dignit.* &c.

CAPUT XXIX.

De criminibus & delictis, quæ vel ſunt ſolius Eccleſiaſtici fori, vel in illo frequenter agitantur.

QUamvis jus Canonicum ſive Pontificium pœnarum atrocitatem exhorreat, præſertim quibus de ſanguine, & vita hominis agitur; nec enim quicquam per quod ad vindictam ſanguinis tenditur, Clerici exercere poſſunt; *Cap. ſententiam 9. ne Cler. vel Monach.* Clericis enim judicium ſan-

Digitized by Google

guinis fuit interdictum,ut alienum à manſuetudine in Clericis requiſita, non quidem lege Moſaïca, quæ judicibus Eccleſiæ gladii poteſtatem dederat, *Levit. cap.* 20. *&* 24. Sed lege Evangelica & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, *Matthæi cap.* 26. *& dict. cap. ſententiam.* Tamen, ut mali coërceantur, & boni quieti vivant, *C. non fruſtra* 23. *quæſt.* 5. Certas adinvenit pœnas, quibus ſontes, citra ſanguinis vindictam, aut membrorum mutilationem, ſive debilitationem, puniri & plecti poſſint.

Quamvis etiam jus Civile diſtinguat delicta in privata & publica: tamen jus Canonicum omnia delicta voluit eſſe publica. Hoſtienſ. *in C. ſtatuimus, num.* 19 *de malef.* per Gloſ. *in cap. infames in verb. fures.* 4. *quæſt.* 1.

Sed delicti appellatione hic venit, non ſolum dolo malo admiſſum, ſed etiam damnum, culpâ, licet leviſſima, datum *c. fin. de jure. jur.* & oritur delictum ex re ipſa,id

eſt, maleficio, *l. 4. in Princ. ff. de oblig. & action.* quarè delictum ſola cogitatione conceptum, à jure non coërcetur, *C. cogitationis q. 3. de pœnit. diſt.* 1. ſaltem in foro externo ſive contentioſo; voluntas tamen & delinquendi propoſitum maleficia diſtingunt, *l. qui* 53. *ff. de furt.*

Sed quid eſt delictum in genere? Reſp. Eſt offenſio contra jus illata, ad pœnam obligans; ſive factum illicitum quo ex nocendi animo, cum ſcientia in faciendo offenſio alicui contra jus infertur.

Ex delictis alia dicuntur vera & propria, quæ dolo committuntur ex animi propoſito: alia imperfecta ſive quaſi delicta; quæ ſunt commiſſa ſine dolo; aliquâ tamen culpa; imperitia puta, aut negligentia: alia ſunt perfecta, quando voluntas ſe exſerit facto, & quidem perfecto: alia imperfecta; quando voluntas facto quidem aliquo ſe exſerit, ſed imperfecto, ſeu non conſummato, diciturque conatus, inter

cogitationem ipſam, & delictum ipſum quaſi medius. Si voluntas ita ſtat intra ſe ipſam,& ad nullum deducatur effectum, cogitatio eſt magis delinquendi, quam delictum: alia delicta ad læſionem Reipubl. & communis utilitatis Dei rectè tendunt, quæ dicuntur publica, & propriè crimina dicta: ſunt & alia privata, quibus privatorum aliquis læditur, quæque privata actione is perſequitur, ad quem ea res pertinet.

Ex delictis etiam quædam committuntur, contra Decalogum; ejuſque vel tabulam primam, vel ſecundam. Contra primam ſimonia, Judaïſmus, Hæ eſis, Schiſma, Apoſtaſia, &c. contra ſecundam. Adulterium, ſtuprum, homicidium, parricidium, fornicatio, ſacrilegium, ſortilegium, uſura, &c. de quibus omnibus & pluribus aliis jus Canonicum tractat, ſuntque vel certarum perſonarum ut calumnia, in deferente crimen; colluſio, in accuſato de crimine

&

Digitized by Google

& accuſatore; venatio, percuſſio, maledictum & miniſtratio in Clerico, & exceſſus Officij in prælato de quibus aliquid perſtringendum, de iſtis enim criminibus etiam judices Eccleſiaſtici cognoſcunt.

De Simonia.

SImonia committitur quoties aliquid pro rebus ſpiritualibus, datur, promittitur, exigitur: eſt enim ſtudioſa voluntas ſive cupiditas vendendi vel emendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ſive rei ſpiritualis cum temporali facta commutatio.

Dicta eſt ſimonia, à Simone Mago, qui primus in Novo Teſtamento hoc ſcelus admiſit, vide *cap. qui ſtudet* 1. *quæſt.* 1. quique impiè æmulatus gratiam Apoſtolorum, jactitabat dona Spiritus Sancti ſe pecuniâ venundare, ut refertur *actorum cap.* 8.

Quomodò dividitur ſimonia? Reſp. Dividi in conventionalem,

Digitized by Google

mentalem & realem. Conventionalis eſt, quandò intercedit conventio de dando, vel recipiendo aliquid pro re ſpirituali, veluti pro conſequendo beneficio, vel aliquo Sacro Ordine, vel etiam alia re quæ eſt annexa rei ſpirituali, ut eſt jus Patronatus, *c. ſunt non nulli* 1. *quaſt.* 1. ſive illa conventio ſit expreſſa, ſive Tacita.

Mentalis dicitur, cum nullum pactum aut factum intercеſſit, ſed ſola prava dantis, aut recipientis mens & intentio, *c. tua nos* 24. *extr. de ſimon.*

Realis ſimonia dicitur quæ præter conventionem de dando, vel recipiendo aliquid pro re ſpirituali annexa, addit executionem & conſummationem vel ab utraque parte, vel una tantum.

Hinc colligere eſt ſimoniam conventionalem conſiſtere, in ſola conventione nondum deductâ in actum & executionem: mentalem in ſola pravâ intentione, nondum deductâ in pactum &

conventionem; & realem in executione ſeu conſummatione, vel ex parte utriuſque, vel alterutrius, & cum res integra eſſe deſierit.

Pro ſimonia mentali quæ talis eſt ſimpliciter, nulla pœna à jure conſtituta eſt in foro externo Eccleſiaſtico, imo vix eſt, ut poſſit conſtitui, cum Eccleſia non judicet de occultis; ſola enim intentio ſimoniaca non nocet in foro externo quo ad pœnam temporalem: at nocet in foro interno quo ad peccatum, & pœnam æternam, Joan. Andreas *in dict. cap. tua nos* ac proinde ſufficit talem ſimoniam expiari per pœnitentiam coram Deo, *cap. ult. extr. de ſimon. junct. Can. cogitationis de pœnit diſt.* 1. Vbi dicitur quod nemo cogitationis pœnam patiatur, quo ad forum externum.

Quo ad ſimoniam conventionalem ſi etiam purè talis ſit, ita ut non fuerit conſummata nec ad actum deducta ex ulla parte, vix eſt etiam ut puniri debeat in foro

externo, quia Canones inferentes Cenſuras, loquuntur, ubi datio, vel acceptio, vel alia realis executio intervenit, non autem ſola conventio, ut videre eſt in *extravag.* 1. *&* 2. *de ſimonia.*

Sic etiam ſola conventione non inducitur beneficij vacatio ipſo jure, quia in pænalibus verba cum effectu ſunt accipienda, *l.* 1. *ff. quod quiſque juris, &c.* vide Toletum *lib.* 5. *cap.* 93. & *Molin. de infirm. reſignant. num.* 206. verum ſi conventioni ſimoniacæ conſenſit reus, non debet impunè abire, quia Canones non ſolum executionem, ſed etiam ipſam conventionem prohibent.

Conventionalis autem ſimonia, quæ completa & conſummata eſt, variis & gravibus pænis afficitur, veluti excommunicatione, privatione beneficij, inhabilitate ad alia conſequenda, depoſitione, &c. eſt enim ſimonia contra jus naturæ & gentium, ſi quidem res ſacræ, ſanctæ, ſpiritales, & mixtæ, ſunt extra commercium, nec æſtimationem

recipiunt. Contra jus divinum, *Mathei cap. 7.* ibi, *gratis accepiſtis, gratis date.* Contra jus Eccleſiaſticum, ut conſtat ex Conciliis, & conſtitutionibus Pontificiis, relatis à Gratiano, *cauſ. 1. q. 3. & ſeqq.* & *in titulis Decretaliũ de ſimonia.* Eſt denique contra jus Civile, ut patet *ex novell. 6. cap. 1. §. 9.* & *l. quemquam, Cod. de Epiſc. & Cler.* Lex etiam Julia in muneribus civilibus ambitum prohibuit, & ne largitione pecuniæ ad ea perveniatur, ità Lex Eccleſiaſtica in rebus Eccleſiaſticis & mixtis ambitum prohibuit; ſimonia verò in rebus ſpiritualibus eſt ſpecies ambitus, ergo meritò prohibetur.

Sed quando contrahitur labes ſimoniacæ pravitatis, & in quibus committitur? Reſp. 1°. Talem labem contrahi, non ſolum datione actuali, receptione, vel promiſſione pecuniæ pro re ſacra ſeu ſpirituali, ſed cum dans à linguâ vel manu, vel obſequio recipientis munus exigit, *C. ſunt nonnulli cauſ.*

1. *q.* 1. munus à lingua, eſt favor; munus à manu, eſt pecunia; munus ab obſequio, eſt ſervitus indebitè præſtita. *dict. cap. ſunt nonnulli.* & ſic tribuens ſpiritualia à cujuſcumque muneris, ſive pecuniæ, ſive obſequij, ſive gratiæ, manus excutere debet, & de ſimonia tam dans, quàm recipiens accuſari poteſt, & etiam is pro quo ſciente & conſentiente alius dedit, *c. Matth.* 23. *extr. de ſimonia*; non autem is pro quo ignorante aut invito alius dedit, aut promiſit, *C. nobis fuit extr. eod.* & accuſatus interim, donec de veritate conſtiterit, Celebratio Miſſæ interdicitur, *C. acccuſatum* & *C ſeq. extr. de ſimonia.*

Reſp. 2°. Labem ſimoniacæ pravitatis contrahi & admitti in collatione beneficiorum & Sacrorum Ordinum Ordinatione, ſi nimirum pro beneficio Eccleſiaſtico conſequendo collatori, vel pro ſuſcipiendis Ordinibus Ordinanti quid datum promiſſumve ſit, *c.* 1. & *c. ex tua de ſimonia* & ex *conſtit.*

Digitized by Google

Gallica Bleſenſi diſtrictè prohibitum eſt Epiſcopis, pro collatione Ordinum, aut literis dimiſſoriis, aut ſigillo, aliquid exigere, quovis colore, directè vel indirectè; & tam dantes, quam accipientes ſimoniaci cēſentur; graphario tamē, ſi non habeat congrua ſtipendia, pro literis Ordinum decimam nummi partem licet exigere, *ex ead. conſtit.* juxta Concilium Trident. *ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 1. ſic etiam in beneficiorum collationibus aliquid dari ſolet pro literis beneficialibus, viſâ; & forma dignum, & in *eadem conſtit. Bleſenſi* modus ille taxatur, ne tranſcendat nummum, quem modum Ordinarij excedere non poſſunt ſine labe ſimoniæ: & conſuetudo contraria, ut turpis & illicita non excuſat.

Committitur etiam ſimōnia in electionibus, inſtitutionibus, præſentationibus, renunciationibus, nominationibus & etiam in Sacramentorum adminiſtratione, ſi miniſtrans aliquid petat, aut acci-

piat pro ipſo Sacramento, vel pro miniſterio: ſi autem quid petat, aut accipiat pro ſua opera & labore ad ſui ſuſtentationem, nulla ſimonia eſt, Toletus *lib.* 5. *cap.* 88. quia ſerviens altari, de altari vivere debet, *C. alia cauſa* 16. *q.* 1.

Sic etiam quod ſpontè & purè, ſine promiſſione, pacto, & conditione animo permutandi pro re ſpirituali, eique annexa, offertur, aut datum gratia redimendæ moleſtiæ, abſque ſcrupulo ſimoniacæ pravitatis, recipi poteſt, *c. tua nos* §. *ſi vero de ſimonia* & ſic, pactio ſimoniaca dici non poteſt, ſi agatur de re temporali Eccleſiæ conſervanda aut recuperanda; nec ſi agatur de jure ſpirituali beneficii conſervando, lite vitanda, aut ſopienda, &c. nec enim ſimonia eſt, vexationem redimere: ſic etiam munuſculum datum collatori aut Ordinanti ante vel poſt collationem, vel Ordinationem non eſt prohibitum, *C. & ſi quæſtiones extr. de ſimon.*

Simoniæ affinis, eſt & proxime accedit confidentia, quæ in rebus ſpiritualibus & Eccleſiæ, etiam ſpecies ambitus eſt: ut enim ſimoniacus ambit beneficia largitione pecuniæ, aliarumque rerum; ſic confidentiarius ambit beneficia datâ fide de cuſtodiendo & dimittendo ad libitum reſignantis vel interceſſoris, vel certa penſione præſtanda & juxta Conſtitutionem Pij IV. confidentia eiſdem pænis quibus ſimonia punitur; ea enim conſtitutione Pius IV. pænas latas contra ſimoniacos, contra confidentiarios extendit, quod confidentia ſit germana ſimoniæ, nec Eccleſiæ minus damnoſa.

Utraque arguitur indiciis & præſumptionibus juris, ſcilicet ex mutuo contracto paulò ante collationem, vel reſignationem, vel poſt: ſi ex actuum ſimultaneitate, intuitu collationis, aut reſignationis, mutuum contractum eſſe conſtet, aut debitorem liberatum: item ex retentione poſſeſſionis, *l. ſicut §. ſu-*

pervacuum, ff. quib. mod. pig. vel hypothec. ſol Item ex pactis collationem vel reſignationem præcedentibus, aut brevi poſt ſecutis. Innocentius *in c. quæſitum de rer. permutat.* ſi nimirum talia pacta ſint relativa ad collationem, reſignationem, aut præſentationem factam, vel faciendam; & etiam ex aliis conjecturis ex quibus fraus, dolus, & ſimulatio arguitur. Flaminius *de reſign. lib.* 14. *cap.* 7. Garcias *part.* 11. *cap.* 37. *num.* 170.

Utraque etiam noviſſimis conſtitutionibus à regno Galliæ eliminata eſt: vide conſtit. ſanctiſſimam Sancti Ludov. anni 1288. ubi ſic edixit. *Simoniæ crimen peſtiferum Eccleſiam labificans à Regno noſtro penitus eliminandum eſſe volumus & jubemus.* & nomine ſimoniæ putandum eum quoque confidentiam comprehendiſſe: & conſtitutiones novæ, quibus regula de publicandis reſignationibus obſervari videtur in Gallia, ad confidentiã arcendam factæ ſunt. In Gallia etiam ſi ſi-

monia, aut confidentia literis probetur, accuſator vel devolutarius quandocumque admittitur, non obſtante regulâ de triennali pacifico poſſeſſore, in quâ ſimonia & confidentia excipiuntur, & præſcriptione vicennali, quâ querelæ criminum extinguntur, *l. quiſquis Cod. de falſis*; nam ſimoniaci & confidentiarij, cum ſint irregulares & & excommunicati, in ſpiritualibus beneficio juris uti non poſſunt, & ab Eccleſia ſemper repelluntur.

De Iudaiſmo.

IVdaiſmus eſt profeſſio veteris teſtamenti ad literam cum ſuperſtitione, & Judæi dicuntur illi qui veteri teſtamento, ad litteram ſuperſtitiosè intellecto, fidem habent; novum verò reijciunt *c. tranſlato de conſtit. c. Martha §. cæterum de celebr. miſſar.* differunt ab hæreticis, quia fidem non in perverſitate, ſed in figura tantum ſuſceptam deſeruntˑ veterem ſuperſtitionem reti-

nẽtes. Fuerunt olim populus Dei, ſed hodiè vagi ſunt exules, & per totum mundum diſperſi, id enim fore, divinitus prædictum fuit, *Pſalm.* 109. ut & exſtituros eos uſque ad conſumationem ſæculi, *Matthæi cap.* 24. & ſic vertentibus fatis populus olim à Deo electus nunc ſervituti deſtinatus eſt. Vbi verò recipiuntur, Chriſtianorum Principum legibus & ſtatutis ſubijciuntur, & nonnullis conditionibus coarctantur, quarum potiſſimæ ſunt: 1. ut ab honoribus & dignitatibus removeantur. 2. ut novas Synagogas extruere prohibeantur. 3. ab actibus legitimis repelluntur, Chriſtiana mancipia, famulos, nutrices, obſtetrices Chriſtianas habere prohibetur: item ab aſſidua Chriſtianorum communione, & connubiis abſtinere tenentur: Item in die Paraſceves oſtia & feneſtras clauſas habere coguntur: in diebus paſſionis Dominicæ in publicum prodire velantur: & Judæi medici Chriſtia-

nos in infirmitatibus inviſere, & eis medicamenta præbere prohibentur, ſic & habitu, per quem à Chriſtianis diſcernantur, utriuſque ſexus, uti jubentur, *Can. in non nullis, extr. de Iudæis*. At verò in contractibus & matrimoniis, leges Chriſtianorum ſequuntur, *l. nemo Iudæorum 7. Cod. de Iudæis*. Et ſicut Chriſtiani die Dominico, ita nec hi in die Sabbatho inviti ad judicium trahuntur, & etiam à Chriſtianis violari prohibentur, *l. nullus l. die Sabbatho Cod. de Iudæis*. Sed prædicta accipiēda de Judæis ſecundùm fidem tantùm, non ſecundùm carnem, ſcilicet eis qui ſunt ex natione Judaica; tales enim poſſunt eſſe Chriſtiani, & ſic Chriſtianorum jure in omnibus uti. Quare prædicta intelligenda de recentioribus Judeis, qui pervicaci ſuperſtitione antiquę legis umbrę adhuc inhęrent, poſtquam veritas ipſa affulſit. Sed nec ipſi, nec ipſis invitis parvuli eorum ad noſtra ſacra traducendi, Vivius *lib. 2. opin.* 151. Ne

Digitized by Google

ſcilicet ſi ipſis invitis obtrudatur noſtra religio, à ſua prohibimi, tranſeāt in Atheiſmū. Facit quod fides libera ſit, & ad eam ſuſcipiendam nemo cogi poſſit; aliud eſt in hęreticis & apoſtatis, qui ſemel ſe ſubjecerunt Eccleſię à qua pro libitu non recedunt.

Sed quid ſi Judæi impediverint aliquem à ſuperſtitione ipſorum transfugere ad nos conantem? Reſp. Extremo ſupplicio affici, *l. 3. cod. de Iudæis.* Multò magis, ſi aliquem ex noſtratibus ſuâ ſuperſtitione imbuerint, *l. Iudæorum* 17. *cod.* Similiter circumciſio quidem illis permittitur inter ipſos: ſed ſi eam in noſtræ religionis hominem tentaverint, perpetuo exilio & publicatione bonorum puniuntur, *l.* 16 *cod. de Iudæis.* Et quia magis diſſipationi eorum, quàm congregationi favetur, ideò licet eorum ſingulis in teſtamento relinqui poſſit, non tamen collegiis eorum, *l.* 1. *cod. de Iudæis.* Soarez *in recept. ſent. num.* 92.

Digitized by Google

De Hæreſi.

HÆreſis dicitur error contrarius fidei Catholicæ cum pertinacia in eo qui recepit fidem Catholicam, *Can. hæreſis, cauſ. 24. q. 3.* ubi hæreticus dicitur is, qui novum teſtamentum ſecutus, falſas & novas opiniones, contra communem Eccleſiæ ſenſum vel gignit, vel ſequitur cum pertinacia. Sunt enim hæretici, Chriſtiani qui dogma aliquod Catholicæ religioni contrarium cum pertinacia ſuſtinent, *l. 2. §. ult. cod. de hæret.* Dicitur, *Chriſtiani*, quia hæreſis non cadit in eos qui toto genere religionis à nobis diſſident, ut ſunt Judæi, Pagani, Mahumetani: dicitur, *dogma aliquod*; nam ſi quis in univerſum Chriſtianæ religionis decreta repudiet, is eſt Apoſtata. Dicitur, *cum pertinacia*; quia ſolus error non conſtituit hæreticum, ſed obſtinatio, *dict. can. hæreſis.*

Hæc igitur requiruntur, ut quis

dicatur verè hæreticus, & ut talis puniatur: 1. falſum dogma eum tueri, & ita in articulis fidei, & contra Eccleſiæ decreta errare, *c. ad abolendam extr. de hæret.* 2. Scienter errare, & ita perverſæ eſſe voluntatis, *c. hæreticus* 24. *q.* 3. Tertium requiſitum eſt, pertinaciter errorem defendere, nec corrigi velle, *Can. damnamus in verb. pertinaciter extr. de ſumm. Trinit.* His adde quartum, fuiſſe nempe baptizatnm, ſiquidem Judæi, Pagani, & alieni à fide, non ſunt hæretici.

Pœnæ quibus afficiuntur hæretici de jure Canonico, ſunt excommunicatio, depoſitio ab officiis & beneficiis, & irregularitas in Clericis, vide *tot. tit. extr. & in 6. de hæret.* & *cod. eod.* Non tamen omnes hæretici eadem auſteritate tractandi, nam moderatè & quietè viventes non ſunt aſperiùs tractandi, nec facilè bello laceſſendi: Nam ut animalia quędam veneno, ſic turbis valeſcunt; & acrior inquiſitio in tales ferè noxia eſt, &

Digitized by Google

incitandæ pertinaciæ : nam ut ait Poëta,

Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas;
Et vidi nullo concutiente mori.

Et hæretici, ut ait Tertullianus, *potiùs ſuaſionibus alliciuntur, quàm metu; vel ratione doceri debent, vel oratione converti; vel patientia tolerari, ut ait Marcilius Ficinius in ſuo libro de vera relig.* Et cum hæreticis in Regno Galliæ non agitur criminaliter, ad vitanda mala, clades & ruinas, quas olim edicta Principum, quibus hæretici cogebantur hæreſim abjurare, & fidem Catholicam profiteri, ſub pœnis indictis in omnibus illius Regni partibus, excitarunt. Nec ſanè illa vertigo minis & ſævitiâ poteſt ſanari, ut loquitur Tuldenus. Sic etiam in Gallia ob publicam Regni tranquillitatem in temporalibus cum hæreticis jura Catholicis communia ſunt ex edicto Nannetenſi.

Digitized by Google

Sed an hæretici ad Catholicos reverſi de integro baptizandi ſunt? Reſp. negativè, quoniam Sacramenta ex virtute divinitùs diffusâ, nõ ex dignitate miniſtri vim ſuam exſerunt, ideò Eccleſia tenuit, & hæreticorum baptiſma valere, *D. Hieron. adverſ. Luciferan.*

Cæterùm ſingulorum Epiſcopoporum eſt per ſuas Diœceſes, ut hæretici inquirantur & extirpentur ubi non tolerantur, *c. excommunicavimus* 13. §. *adjicimus extr. de Iudæis.* idque ordinariè; extraordinariè verò hoc pertinet ad inquiſitores hæreticæ pravitatis, à ſummo Pontifice conſtitutos, *c. cùm officium* 1. *de Iudæis in* 6. Et cùm crimen hæreſeos ſit merè Eccleſiaſticum, illius notio regulariter ad judices ſæculares non pertinet, *c. ad abolendam extr. de Iudæis.* Sed tenentur judicum Eccleſiaſticorum ſententias exſequi, nullo in contrarium ſtatuto obſtante, vide *c. ut inquiſitionis* 18. & *c. ſtatutum* 9. *de Iudæis in* 6. Quod ſi Epiſcopi, & alij-

ſuperiores per gratiam contra hæreticos (ubi non tolerantur) procedere ceſſent, per triennium ab omni officio ſuſpenduntur, *Clem. multorum de hæret.*

De ſchiſmate.

SChiſma dicitur diviſio ab unitate Eccleſiæ per inobedientiam facta; & ſchiſmatici à ſchiſmate, id eſt, ſciſſura dicti ſunt qui ab univerſali Eccleſia per inobedientiam ſe diviſerunt & ſepararunt, Eccleſiam Dei & ejus corpus lacerantes, vide *Can. Schiſma, cauſ. 24. q. 1. c. inter hæreſim ead. cauſ. q. 3. & c. de Liguribus 23. q. 5.* cum hæreticis conjunguntur ſchiſmatici, vide *c. ad ſuccindendos, de hæret. in 6.* Et omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, & nullum ſchiſma eſt quod ſibi aliquam hæreſim non confingat, ut ab Eccleſia rectè receſſiſſe videatur, vide *dict. Can. inter hæreſim.*

Schiſma duplex poteſt eſſe in

Eccleſia ; unum quantum ad fidem, & eſt hæreſis : aliud quantum ad obedientiam Capiti Eccleſiæ debitam, vide *dict. Can. inter hæreſim cauſ.* 24.*q*.3. Schiſmaticorum pœnæ ſunt excommunicatio, & ſuſpenſio,& deinde ſi non reſipuerint, depoſitio tum à beneficiis, tum ab officiis. Quod ſi corrigi non potuerint, imploratur Principum ſæcularium poteſtas,& omni Eccleſiaſtica prærogativa nudati, tali poteſtati traduntur puniendi, ut & hæretici, niſi hæreſim abjuraverint ; fiunt quoque ſchiſmatici irregulares, & beneficiis obtentis ipſo jure privantur,quoniam beneficium non meretur, qui authoritatem ſui benefactoris nititur expugnare ; pnniuntur etiam bonorum confiſcatione, & actuum à ſe geſtorum annullatione, proindéque ordinationes, beneficiorum collationes, rerum Eccleſiaſticarum alienationes per illos factæ, ſunt irritæ ; & ab iis ordinat. ab officio repelluntur, niſi cum

iis diſpenſaverit ille, qui diſpenſandi poteſtatem habet, *c. 2. extr. de ſchiſmat.* eámque habet tantùm ſummus Pontifex, ſi ſcienter à ſchiſmatico ſint ordinati: ſi ignoranter, quilibet diſcretus Prælatus, *cap. ſi quis à ſimoniacis, cauſ.* 1. *quæſt.* 1.

De Apoſtaſia.

QUamvis hæreſis & apoſtaſia idem habeant objectum, ſcilicet contradictionem fidei in perverſitate ſemel ſuſceptæ, hæreſi tamen gravior apoſtaſia; quia à tota fide recepta recedit, hæreſis verò tantũ à parte; hæretici enim aliquod reſipiſcentiæ retinent fundamentum, at apoſtatæ fontem gratiæ & inſtaurationis abjiciunt. Addo quod turpius & ſceleratius ſit veritatem ſemel agnitam abjicere, quàm nunquam cognoviſſe; ſed ſolet error progredi, nec mens humana quieſcere in falſo poteſt.

Quid eſt erg apoſtaſia? Reſp.

triplex, Apoſtaſia ſcilicet perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis, juxta *cap. præterea extr. de Apoſtat.*

Perfidiæ apoſtaſia dicitur, quando quis à fide Catholica ejúſque cultu recedit, & fit idolatra, ad Judaicos, alióſve ritus deteſtabiles deflectendo, *Can. non poteſt* 2. *q.* 7. Et hæc apoſtaſia privat iis omnibus, quæ Chriſtianis ut ſic, conceduntur, *l.* 1. 2. 3. *Cod. de apoſtat. & dict. c. non. ead. cauſ. & quæſt.*

Apoſtaſia inobedientiæ eſt, cùm quis præceptum ſui ſuperioris tranſgreditur, vel renuit ſacris Canonibus & ſtatutis obtemperare, *cap. ſi quis de major. & obed.* Et hæc apoſtaſia punitur excommunicatione, deinde depoſitione, & ſi contumacia perſeveraverit, ſæculari traditur poteſtati apoſtata, *Can. ſi quis à ſuo.* 3. *quæſt.* 4. Apoſtaſia denique irregularitatis eſt, cùm quis receſſit à ſtatu illius religionis quam profeſſus eſt, *Can. fin. extr. de apoſtat.* Et hæc apoſtaſiæ ſpecies punitur etiam depoſitione & priva-

tione omnium privilegiorum Clericis competentium, *Can.* 1. *extr. de apoſtat.*

Non tamen hanc irregularitatis apoſtaſiam incurrit ille, aut deſertor profeſſionis monaſticæ habendus, qui ad aliud religioſorum inſtitutum minùs ſtrictum, etiam ſine venia ſui præfecti, transfugit, Capel. Tholoſ. *deciſ.* 16. Nec etiam apoſtata erit, qui timore carceris profugit de monaſterio, retento habitu & animo ſe reconciliandi, Monald. *lib.* 2. *conſ.* 87. *&* *conſ.* 126. Menoch. *de arbitr. caſu* 546. planè propter cauſam, veluti infirmitatem ex incongruentia aëris orientem, transferendus Monachus in congruentius valetudini monaſterium, Decian. *conſ.* 20. *lib.* 1. adeóque ex juſta cauſa conſentiet præfectus victuro extra monaſterium, Menoch. 2. *arbitr. caſ.* 504. *Can.* 2. *&* *Can. Monach.* 16. *q.* 1. veluti ut juvet matrem ſenio, morbo, & indignâ paupertate afflictam, Valaſc. *deciſ.* 60.

Digitized by Google

De iteratione Baptiſmi.

CRimen grave eſt, & hæreſi adſcribitur ſanctum Baptiſmum iterare: quare qui ſcienter iteravit vel in ſe, vel in alio, graviter punitur: Clericus enim ſanctum Baptiſma iterans, deponitur, *Can. eos quos, diſt.* 4. Laïcus excommunicatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis removetur, *Can. ſi aliquo, diſt.* 51. Et de jùre Civili capitalis pœna imponitur, *lib.* 2. *Cod. ne ſanctum Baptiſma iteretur.* Addo quod dolo malo rebaptizati & rebaptizantes fiāt irregulares, & qui ſponte rebaptizantur, dicuntur Chriſtum iterùm crucifigere, vide *cap. qui bis de conſ. diſt.* 4. Cùm verò de facto dubitatur, an præſentatus fuerit baptizatus, Baptiſmus conditionaliter denuò celebrari poteſt ſine metu irregularitatis, in hæc verba: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Nota tamen quod quāvis Sacramentum Confirmationis ſimiliter

ſimiliter iterari prohibeatur, tamen ſi iteretur, irregularitas non contrahitur: nam extra caſus in jure expreſſos nota irregularitatis non irrogatur, Soarez *de Sacram.* 38. *ſect.* 1.

Olim verò ideò quidam hæretici ſanctum Baptiſma iterabant & frequentabant, quia lavacrū quoddam eſt, & expiatio macularum, eáſque quotidie renovamus vitæ hujus ſorte. Sed error ille ab Eccleſia damnatus eſt, & contra leges ſacrique Canones inſurgunt; eſt enim lavacrum tantùm regenerationis in Deo & Eccleſia, quæ non magis ſæpiùs contingere poteſt, quàm ipſa nativitas. Quare nec apud hæreticos baptizati ſine injuria Eccleſię poſſunt rebaptizari; ſi in nomine ſanctæ Trinitatis ſint baptizati: nam hæreticorum intentio eſt, cùm baptizant, facere quod facit vera Eccleſia, quamvis in eo fallantur, quod exiſtiment ſe eſſe in vera Eccleſia, & ſic valet baptiſmus hæreticorum,

Digitized by Google

nec iterari debet. Vide me ſuprà de Baptiſmo, & etiam de crimine hæreſeos.

De promotione ad Ordines per ſaltum, vel furtivè.

TAlis promotio etiam inter crimina Eccleſiaſtica refertur: per ſaltum verò dicitur promotus qui non gradatim, ſed prætermiſſis ordinibus ad ſuperiores aſcendit, *Can. ſollicitudo diſt.* 52. Quod ſi id fecerit ignoranter poſt injunctam pœnitentiam cum illo poterit diſpenſari, & ſuppletur quod incautè omiſſum eſt, *cap. unic. extr. de Clerico per ſaltum promoto.* Si ſcienter, ſic punitur, ut miniſtrare non poſſit ea quę ſunt ſuſceptorum ordinum, quia ab illis deponitur, nec ampliùs ordinatur. Furtivè dicitur promotus qui ſe intrudit ad ſuſcipiendos ordines ſine licentia Epiſcopi, & prævio examine, *Can. extra conſcientiam, diſt.* 64. Vel qui plures

ordines contra Eccleſię ſtatnta, & ſine diſpenſatione uno tempore ſuſcepit, *cap. innotuit extr. de eo qui ordinem furtivè ſuſcepit.* Et in hoc punitur, quod excludatur à majoribus ordinibus, & ſuſceptos prohibeatur exequi, *dict. cap. innotuit.*

Graviſſimè etiam punitur & delinquit Clericus, dum ejus ordinis, quem nondum ſuſcepit, miniſterium & functionem exercet; veluti dum Subdiaconus, Diaconi, vel Diaconus, Sacerdotis fungitur officio, vide *tot. tit. extr. de Clerico non ordinato miniſtrante.* Quod ſi nondùm Clericus Miſſam, vel aliud miniſterium ſacrum celebret, judicis arbitrio puniendus eſt; ex quo huc uſque nulla à ſacris Canonibus, eo caſu, impoſita ſit pœna: ideò fortè quod antiqui Patres non exiſtimarent Laïcos unquam eò temeritatis prærupturos, prout poſtmodùm aliquando prorupiſſe compertum eſt. Sed huc ſpectat, & videnda Clem. VIII. *Conſtitutio incip.* etſi aliàs non 1601.

quam refert Piaſec. 2. *p. cap.* 4. *art.* 14. *num.* 12.

Sed quid dicendum ſi Clericus excommunicatus, depoſitus, vel interdictus miniſtret, vel celebret? Reſp. Si Clericus depoſitus, degradatus vel ſuſpenſus, in ordine ſuo miniſtret, & monitus non deſiſtat, excommunicatur; etſi nec ſic deſiſtat, per ſæcularem poteſtatem ad requiſitionem Eccleſiæ damnatur: Sacerdos verò ſciens ſe eſſe excommunicatum (majore ſcilicet excommunicatione vel aliàs interdictum) celebrans, vel ſe ingerens celebrationi Divinorum, fit irregularis, & in perpetuum ab officio Sacerdotali deponi, ac beneficiis omnibus ſpoliari debet, *C. lator, & C. fraternitati tuæ. extr. de Cler. excommunicato depoſito, vel interdicto miniſtrante.*

De ſortilegio.

SOrtilegium dicitur ars divinandi per creaturas inferiores,

ex quibuſdam ſignis conjecturando, vel ex dæmonum conſultationibus futura prædicendo. Et damnatur jure Civili, Canonico, & Divino, *Exod.* 22. *verſ.* 18. *Levit.* 20. *verſ.* 6. & 27. Dicitúrque maleficium vel divinatio, & ſortilegium in genere omnem divinationis, impietatis, vanitatiſque magicæ ſpeciem comprehendit, *C. ſi per ſortiar.* 33. *q.* 1. Et propriè dicuntur ſortilegi, qui divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt, *C. ſortilegi* 26. *q.* 1. & 2. Præcipuæ ſortilegiorum ſpecies ſunt *Aſtrologia*, quatenus ab aſtris futura prædicuntur: *Geomantia*, quatenus à terra: *Aeromantia*, quatenus ab aëre: *Pyromantia*, quatenus ab igne: *Hydromantia*, quatenus ab aqua: *Chiromantia*, quatenus ab inſpectione manus: ſunt & *Necromantici*, qui ex mortuis dicunt ſe reſponſa accipere: necnon *præſtigiatores*, qui aciem oculorum perſtringunt, & magicis artibus

Digitized by Google

faciunt apparere quod non eſt, de quibus omnibus vide *c. igitur, cauſ.* 26. *q.* 3. *&* 4. & *Can. nec mirum* 26. *q.* 5.

Pœnæ ejuſmodi maleficiorum ſunt excommunicatio, & ſi Clerici ſint, degradatio; quinimò eadem pœna eis infertur, quæ hæreticis, *Can. ſors non eſt*, 26. *q.* 1. *&* 2. In foro etiam ſæculari morte plectuntur, *tot. tit. Cod. de malefic. & mathematic.* Omnes namque prædictæ ſpecies ad ſuperſtitionem vel idolatriam, vel ad dæmonis cultum, expreſsè aut tacitè inducunt. Et Clerici qui ſortibus utuntur ad detegendum res occultas, aut divinandum futuras. ab altaris miniſterio per annum abſtinere jubentur, *Can.* 2. *de ſortil.*

De ſacrilegio.

SAcrilegium fit ſacrum violando, aut auferendo res ſacras, aut de non ſacris ſacras faciendo. Committitur enim vel reſpectu

rei, ut cùm ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro aufert, *Can. quiſquis* 17. *q.* 4. *contr. l. Divus ff. ad leg. Iul. pecul.* Item per Eccleſiæ infractionem, aut prædiorum Eccleſiaſticorum invaſionem, *dict. Can. quiſquis eadem cauſ. & quæſt. & Can. prædia, cauſ.* 12. *q.* 2.

Et ſic in rebus ſacrilegium commiſſum, variè pro modo ſceleris admiſſi facinoriſve perpetrati, niſi ſatisfactum ſit aut de ſatisfaciendo plenè cautum, punitur.

Committitur etiam ſacrilegium ratione perſonarum Eccleſiaſticarum, cùm quis in Clericum vel Monachum manus violentas injicit, pulſando, vinciendo, verberando, aliáve injuriâ afficiendo, vel cùm perſonę Deo dicatę per coïtum appetuntur, vide *Can. ſi quis ſuadente diabolo* 17. *quæſt.* 4. Et ſacrilegium commiſſum in perſonis Eccleſiaſticis, earúmve veſtibus, excommunicatione majore punitur, à qua non niſi à ſummo Pontifice abſolutio concedi po-

teſt, *dict: Can. ſi quis ſuadente diabolo.*

Cęterùm ſacrilegi, tam jure Civili, quàm Eccleſiaſtico foro conveniri & damnari poſſunt, *l. ſi quis in hoc Cod. de Epiſc. & Cler. & cap. 8. extr. de foro compet.*

De adulterio.

ADulterium ſpecialiter ſumptum, dicitur alieni thori violatio & temeratio, & quaſi ad alterius thorum acceſſio; deque jure Civili in nuptam ſive conjugatam committitur; non autem in virginem, aut viduam; unde eo jure definitur, alienæ matrisfamimilias corruptio. Quamvis & eodem jure etiam ad ſponſam extendatur, *l. propter 7. Cod. ad leg. Iul. de adult.* quod ſponſa pro uxore habeatur, *l. ſi ſponſa 74. ff. de jur. dot.* Et quia neque matrimonium qualecumque, nec ſpem matrimonij violare permittitur, *l. ſi uxor* 13. §. *ſi minor ff. ad leg. Iul. de adult.* Licet hoc caſu mitior pœna decernatur.

Digitized by Google

Verùm de jure Canonico adulterium etiam in ſolutam mulierem à conjugata committitur, *c.* 19. *& fin.* 32. *quæſt.* 5. quia de jure Canonico eadem caſtimonia in marito requiritur, quæ in viro, *Can. præcipit, can. apud nos, & dict. can. fin.* 32. *q.* 5. Jus quoque divinum pari caſtitatis fide conjuges obſtringit, & etiam arctiùs maritum, ne vel exemplo ejus, vel vindictæ cupiditate ad perfidiam ſtimuletur infirmior ſexus, Lactant. 6. *divin. inſtit.* 3. Idque etiam juri naturali convenit; periníquum enim videtur, ut pudicitiam ab uxore vir exigat, quam ipſe non exhibet, *l.* 13. §. 5. *ff. ad leg. Iul. de adult.* Unde eleganter D. Auguſt. ſic: *Tu hoc exigis ab uxore, & non vis reddere uxori: debes in virtute præcedere uxorem tuam, quoniam caſtitas virtus eſt, & tu ſub uno impetu libidinis cedis; & vis uxorem tuam victricem eſſe, cùm tu victus jaces.* Quare hac in re quod non licet fæminis, æquè non licet viris.

Addo quod *Matth. cap.* 5. *verſ.* 27.

Et *cap.* 19. *verſ.* 9. extet præceptum generale de non adulterando, proindéque tam ad virum, quàm ad uxorem pertinet, facit *Canon nemo 4. cauſ.* 32. *q.* 4.

Sed hic notandum ad hoc crimen adulterij, præter actum thori, ſive ſui, ſive alieni violandi gratia, requiri & conſenſum & ſcientiam alieni thori adeſſe; non enim hoc crimen ſine dolo malo committitur; nec etiam è voluntate, ſed ab actu intelligitur, *l. penult. l. miles. l.* 23. *&* 25. *ff. ad leg. Iul. de adult.* Unde ea quæ nupſit cum eo, quem ignorabat habere uxorem, adultera quoad primum non eſt; niſi poſtquam id ipſum ſciverit, cum eo concumbat, *Can. ſi virgo nupſerit,* 32. *q.* 2. Et uxor ab alio, quàm à marito, violenter compreſſa vel ignoranter cognita, ut adultera accuſari non poteſt, *Can. in lectum* 34 *q.* 2. *& l. vim paſſa, ff. ad leg. Iul. de adult.* Sic etiam mulier per vim ſtuprata nullam infamiæ maculam incurrit, ſed immacnlatæ exiſti-

Digitized by Google

mationis permanet ; caro enim corrumpi nequit, niſi mens antea fuerit corrupta, unde nec virginitas perit coacta fornicatione, ſi voluntas in actum non condeſcendit.

Cæterùm jure Canonico alter conjugum, ſive maritus, ſive uxor ob alterius adulterium agere ad ſeparationem thori poteſt coram judice Eccleſiaſtico, ad quem ſolùm eo caſu ſpectat cognitio, *C. tuæ fraternit.* 5. *de procur.* qui & excõmunicatione in adulteros uti poteſt, *can. intellex.* & *c.* 2. *de adult.* Separatio autem illa, non eſt vinculi matrimonij, *c. quos Deus* 33. *q.* 2. ſed tantùm cohabitationis & thori diviſio, *c. penult & fin. de adult.* eáque conceſſa dos & donatio propter nuptias conjugi innocenti applicantur, *can. plerumque* 4. *de donat. inter vir. & uxor. l. fin. cod. de repud. & novel.* 117. § *quia verò.* Cumque maritus, uxore adultera ſolutus ſit à jure ſolvendi ei debitum conjugale, ingredi monaſterium poteſt,

Digitized by Google

can. conſtitutus extr. de converſ. conjugat.

Poteſt etiam accuſatio adulterij inſtitui criminaliter, & coram judice ſæculari, quando nimirùm agitur ad pœnam quæ de jure civili eſt gladij & ſanguinis, vide *l. quamvis in fin. cod. ad leg. Iul. de adult. & l. transſigere cod. de tranſact.* ſacrilegos enim nuptiarum gladio puniri oportet, *dict. l. quamvis.* Sed ex Juſtinian. *novel.* 134. *cap.* 10. mulier adultera non punitur gladio, ſed virgis cæſa, & verberibus affecta in monaſterium detruditur, poteſtate interim marito relictâ intra biennium eam repetendi, quod & jure Canonico videtur receptum, *can. gaudemus de converſ. conjugat.* & *can. gaudemus de divort.* Hodie etiam conſuetudine & moribus locorum adulterij pœna capitalis non ſervatur, & pecuniaria, aliave levior introducta eſt: qua de re nonnulli conqueruntur, & non injuria exclamant, *ubi nunc lex Iulia dormis*, propter hujus ſceleris im-

manitatem & frequentiam ; cætera quidem crimina ferè omnia propriè turpitudinis ſinibus continentur, adulterium verò quoddam vitiorum agmen trahit. Tres enim adulterio ſubvertuntur familiæ : nam ejus cujus conjugale fædus violatur, uxor fit perfida : pro prole legitima ſubrepit partus adulterinus, quo alienæ familiæ ſinceritas confuſcatur : ſubſtantia paterna legitimis liberis ſubſtrahitur, & cum ſpuriis participatur: non minus reliquæ duæ domus adulteri & adulteræ dedecore, contumelia, & probris turpiſſimis conſpurcantur & replentur. Imò adulterij crimen in tantum ſiſt deteſtabile & abominandum, ut etiam bruta animalia magnoperè abhorreant & fugiant : quemadmodum de ciconiis, porphyrionibus, elephantis, leonibus, columbis, turturibus, & aliis referunt DD. vide Farinac. *in prax. crim. part. 4. tit. 16. de delictis carnis quæſt.* 141. *num.* 10. *& ſeq.* & tamen hoc corrupto ævo

Digitized by Google

inter homines crimen frequentius nullum, licet honeſtiores nihil durius exaſperet, & cum Virgilio.

——*Non ſolos tangit Atridas.*
Iſte dolor. —

Iſta de laïcis adulterantibus intelligenda; ſi vero Clericus adulterium commiſſiſſe aut confeſſus aut convictus fuerit à judice Eccleſiaſtico, deponendus eſt ab officio & beneficio, & in Monaſterium detrudendus, ad perpetuam pænitentiam agendam, *Can. ſi quis Clericus* 10. *diſt*, 81. & damnatus de ejuſmodi crimine eſt infamis, *can. at ſi clerici* §. *de adulteriis de judic.* in poteſtate tamen Epiſcopi eſt, poſt peractam pænitentiam cum Clericis, in adulteriis, & aliis criminibus inferioribus diſpenſare, neque debet omnem depoſitum poſt pęnitentiam, ſeculari Curiæ tradere, *dict. c. at ſi clerici* §. *de adulteriis de judic.* Tandem ab hoc nefando crimine, uti & ab omni Dei offenſa,

Digitized by Google

qui ſapit, abſtineat; Scortatores enim & adulteros judicabit Deus, *Hebr.* 13. 2. neque regni Dei hęreditatem poſſidebunt, 1. *cor.* 6. & 9.

De Stupro.

STuprum eſt illicita cum Virgine aut vidua integræ vitæ & honeſtè vivente citra vim coitio. Strictiſſimè verò & propriè capitur, pro Virginum illicita defloratione & punitur de jure Civili in perſonis honeſtioribus confiſcatione dimidiæ partis bonorum, in vilioribus verò relegatione cum coërcitione corporis §. 5. *inſtit. de public. judic.* Sed jure Canonico ſtuprator ſtupratam à ſe Virginem dotare tenetur pro ejus conditione, eamque habere uxorem: niſi pater renuat & dare nolit, quo caſu dotare ſufficit: ſi, patre concedente, eam ſtruprator ducere nolit, corporaliter caſtigatus, & excommunicatus in Monaſterium,

ad agendum inibi pænitentiam, detrudendus, *c.* 1. *&* 2. *extr. de adulter.* Sed hic obiter notandum quod etiam in terris Imperij, ſtuprator non alia pæna plectatur, niſi ut ſtupratam, aut ducat, aut dotet. Farinac. *in ſua pract. crim, part.* 4. *tit.* 16. *quæſt.* 147. & ſic alternativè iſta requiruntur & non copulative, & quidem hoc non in poteſtate judicis, ſed in arbitrio ſtupratoris poſitum eſt, utrum eligere, an ducere, ſtupratám, an verò dotare malit. Sed quid ſi non poſſit eam ducere? Ut quia ſit conjugatus, aut Ordine Sacro inſignitus, nihilominus dotabit, quia utrumque eſt in obligatione, *arg. l. Celſus* §. 1. *ff. de recept. arbitris.* Clericus verò etiam deponitur, ex communi ſententia apud Clarum §. *ſtuprum. num.* 3, inſuperque pæna pecuniaria, vel corporali, veluti detruſione in carcerem vel Monaſterium puniri poteſt, juxta arbitrium judicis, Abbas *in c. at ſi Clerici de judic.* & *cap. penult. de adulter.* Si autem Clericus Sacris

Digitized by Google

Virginibus ſtuprum intulerit, deponitur; ſi laïcus, excommunicatur de jure Canonico, ſed jure Civili plectitur, capite, *l. ſi quis non dicam. Cod. de Epiſc. & Cler. Can. ſi quis non dicam. 36. quæſt. 2.*

Quod ſi quis, plures Virgines ſtupraverit; aut vilis nobilem, is etiam hodiè in corpore coërceri poteſt, Theſau. *deciſ.* 5. etenim aliquando circumſtantia auget pænam, veluti ſi tutor ſuam violat pupillam; creſcit enim crimen propter perfidiam violantis eam quam à corruptela inmunem præſtare debeto vel ſi quis viduam cognatam, aut aliam cum qua matrimonium conſiſtere nequit, vel Virginem fatuam, vel furioſam, aut nondum viri potentem corruperit, eſt enim hoc ſtuprum communi gravius, & quod Horatius quoquè deteſtatur *in carmine lib. 2. Ode 5.*

Nondum ſubactâ ferre jugum valet
Cervice & tolle cupidinem immitis uvæ.

ſanguineis vel affinibus intra gradus prohibitos abutuntur, & cum eis concubant, *dict. Can. Lex illa.* unde & nuptiæ inter hos contractæ inceſtuoſæ dicuntur, *novel. de inceſt. nupt. in Princ.* quaſi in his nuptiis minimè adſit ceſtus, id eſt, cingulum illud quo Venus ad honeſtas nuptias utebatur, Covar. *dict. loc.* Virginum verò Deo conſecratarum conjunctio non ſolum inceſta ſed & ſacrilega eſt & dicitur, *Can. ſi quis* 27. *q.* 1. & in eum, qui Virginem Deo conſecratam, jungendi matrimonij cauſa, vel ſaltem intentarit, capitalis pæna conſtituta eſt, *l. ſi quis non dicam Cod. de Epiſc. & Cler. novel.* 123. *§ penult.*

De jure Canonico Clericus de inceſtu accuſatus infamatus & convictus, deponi & beneficiis privati debet, *Can. penult. de purg. vulg.* eodemque jure omnis inceſtus macula pollutus, ſi quidem ſcienter. infamis eſt, neque Sacerdotes, neque legitimè conjunctas perſonas accuſare poteſt, eſtque

excommunicatus ipſo jure *Clem. vnic. de conſanguinitate*; à qua tamen excommunicatione Epiſcopus abſolvere poteſt, *Gloſ. ibid.* alteroque morte prævento, alter quamdiu vivit, graviter pænitere debet, abſque ſpe matrimonij cum altera, quamquam ſi contraxerit cum alia, ſubſiſtat matrimonium, quia inceſtus eſt impedimentum impediens, non autem dirimens, *Can. tranſmiſſæ* 4. *de eo qui cogn. conſang. vxor.* qui verò ignoranter inceſtas nuptias contraxerit, mitius arbitrio judicis, puniendus eſt.

Liberi ex inceſtuoſis complexibus ſcienter factis nati, non cenſentur legitimi, neque parentibus ſuccedunt, *auth. inceſtas Cod. de inceſt. nupt. novel* 89. *cap. fin. & Can. vnic.* 38. *quæſt.* 7. & adeò non ſuccedunt liberi inceſtuoſi :]idem dicas de nefariis & adulterinis, ut nec alimenta eis de jure Civili debeantur, *dict. novel.* 89. *cap.* 14. *& dict. auth. ex complexu.* Sed æquitas & manſuetudo juris Canonici decernit eos à

parentibus alendos, *c. cum haberet*, 5. *& ibi Canoniſtæ extr. de eo. qui duxit, quam polluit per adulter.* & diſpoſitio *dict. cap. cum haberet*, non ſolum in terris Eccleſiæ, ſed etiam Imperij ſervandam eſſe communis eſt concluſio DD. *ibi & in dict. auth. ex complexu.* & jus Canonicum hoc inducit ex quadam æquitate naturali, cum educatio liberorum ſit juris naturalis, & ne liberi alimentis privati fame pereant; negare autem alimenta eſt necare, *l. necare* 4. *ff. de liber. agn.* & *c. paſce* 21. *diſt.* 85. ſed necare aliquem eſt peccatum mortale, & quando tractatur de peccato, juri Canonico ubique adhærendum, tam in terris Imperij, quam Eccleſiæ, ut not. *in Can. Clerici*, 8. *de judic.* & *c.* 1. *de nov. oper. nunciat.* Huc ſpectat quod habet D. Ambroſius *in dict. c. paſce.* Ubi ſic loquitur. *Paſce fame morientem, quiſquis enim paſcendo ſervare hominem poteras, ſi non paviſti, occidiſti.*

Cæterum inceſtus committitur per qualemcumque coitum, per

matrimonium, ſtuprum, concubinatum, ſcortationem, adulterium, vide *l. 38. ff. ad leg. Jul. de adult.* Eſt autem ſcortatio propriè meretricius coïtus; ſtruprum, coitus cum honeſtè vivente, *Can. meretrices 31. q. 4.* concubinatus in ſpecie dicitur, quandò apud ſe detinet mulierem, cum qua ſe conjungit ſine maritali affectione, *tot. tit. ff. de concubinis* & *l. 144. de verb. ſignif.* ſcortatio extra pænam eſt, *l. 29. cod. ad leg. Jul. de adult.* & etiam concubinatus, tanquam jure Civili permiſſus, *l. 3. §. 1. ff. de concubinis*, at utrumque crimē jure Canonico damnatum eſt.

De Raptu.

RAptus eſt violenta puellæ vel viduæ de domo patris abductio, ut corrupta in uxorem ducatur, *can lex illa §. 1. cauſ. 36. q. 1.* differt à ſtupro, quod raptus vim includat, ſive ea fiat ſoli raptæ, ſive iis quorum poteſtati ſub eſt, ut parenti, marito, ſponſo curatori, *l.*

unic. cod. de rapt. virg. can. raptotibus 36. *q.* 1. ubi obiter notandum, hac in parte, vim etiam habere perſuaſoria verba, *l.* 1. §. *perſuadere ff. de ſervo corrupto*: adeoque Solon magis eum punivit qui verbis & blando ſermone mulierem pellexiſſet, quàm qui vi abduxiſſet, teſte Plutarcho, *in Solone*. Dixi abductio, quia ſi in loco violetur, non dicetur propriè rapta, ſed vim ſeu ſtuprũ paſſa: licet generaliter id etiã raptus vocetur.

Notandum etiam committi raptum quando libera mulier libidinis cauſa etiam volens abducitur invitis tamen parentibus; putatur enim decepta blanditiis potius, quam ſponte conſenſiſſe, *l.* 3. §. *ſi quis volente ff. de liber. homine exhib.* quod ſi non cognoverit raptor raptam, puto non habere locum pænam ordinariam *l. unic. cod de rapt. virg.* quæ fundatur in defloratione, ſed pænam arbitrariam, Covar. *ad Clem. ſi furioſus part.* 2. *in princ. num.* 8. niſi monialis ſit rapta, propter ſcandalum; qui

enim Deo dicatas Virgines, vel rapuerint, vel volentes matrimonio ſibi ſociare tentarint, tanquam ſacailegi plectuntur, nulla Sacrarum Virginum voluntatis habita ratione, *can. 2. ubi Gloſ. 1. cauſ.* 36. *q.* 2.

Sed quo ad mulierum laïcarum raptum, quænam eſt pæna in raptorem? Reſp. Pænam raptoris, ejuſque comitum & adjutorum eſſe ultimum ſupplicium per *dict. l. unic. cod. de rapt. Virg.* qua lege interdicitur etiam matrimonium inter raptorem & raptam; jure verò Canonico hodiè raptor raptam habere uxorem non prohibetur *cap. ult. extr. de raptor.* dummodo rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, extra poteſtatem raptoris liberè deinde conſentiat in matrimonium; alioquin quamdiu in poteſtate manet raptoris, nullum inter eos conſiſtere poteſt matrimonium, Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat. matrim.* Altera differentia notabilis inter jus Civile

Civile & Canonicum in hac materia eſt, quod qui ſibi deſponſatam & illius conſenſu, licet parentibus invitis, abducit, de jure Civili raptor dicatur, *dict. l. unic.* non autem de jure Canonico, *can. 6. & fin. extr. de raptor.* Ex eo quod ſponſus in ſponſam ex deſponſatione aliquid juris habeat. At verò jus Canonicum raptores, præter pænas legibus civilibus ſtatutas *in dict. l. unic.* anathemate etiam punit, ſi laïci ſint; & ſi ſint Clerici, eos ordinis & honoris amiſſione plectit, *c. raptores igitur 36. quæſt. 2.*

De Fornicatione.

FOrnicatio (de ſimplici loquor) eſt omnis illicita conjunctio ſeu conſuetudo, cum vidua, vel etiam meretrice, aliave corrupta *can. Lex illa §. Fornicatio 36. quæſt. 1.* diciturque fornicatio à fornicibus, id eſt, concameratis cellis, ſub quibus Romæ meretrices omnibus expoſitæ habitare conſueverant &

Digitized by Google

meretrix dicitur, quæ multorum libidini patet, & quæ palam quæſtũ ſui corporis facit, palamque quæſtum ejuſmodi facere dicitur non tantum quæ in lupanari, verum etiam quæ in taberna, caupona, vel quâ alia pudori ſuo non parcit. Huc ſpectant illi verſiculi.

Stat meretrix certo cuiuis mercabilis ære,
Et miſeras juſſo corpore quærit opes.

Talis conjunctio ſeu fornicatio jure divino & Canonico prohibetur, puniturque in Clericis, ſi poſt trinas ſalutares monitiones, cum fæminis, de quibus fornicationis crimine ſunt ſuſpecti, inveniantur fabulari & cum iis converſari; *can. ſi quiſquam* 2. *de cohab. cler. & mulier.* ſi moniti à focariis ſuis non abſtineant, ab Eccleſiaſticis Beneficiis uſque ad ſatisfactionem ſuſpenduntur, *c. ut clericorum* 13. *de vita & honeſt. cler.* quod ſi ſuſpenſi eas adhuc retineant, perpetuò ab officiis removentur, *can. Maximianus*

6. *diſt.* 81. in laicis verò fornicationis pæna eſt arbitraria, tam quo ad pænitentiæ modum, quam alia. Lancell. *in inſtit. jur. canon. tit. de adult. §. fin.*

De Sodomia ſeu Luxuria contra naturam.

Coitus contra naturam fit, cum maſculo, vel etiam cum fæmina, ſed in membro ad hoc non deſtinato ſeu conceſſo, vel cũ brutis. Hoc grave piaculum & nefandum ſcelus jure Canonico cum puero vel muliere ſic admiſſum, punitur in Clerico, dejectione, & in Monaſterium ad pænitentiam agendam detruſione; & in laïco, excommunicatione, & à cętu fidelium remotione, vindicatur, *c. uſus naturalis* 32. *qu.* 7. *can. ut clericorum* 13. *de vit. & honeſt. cler.* Commixtio verò cum brutis, morte punitur, *c. mulier.* 15. *q.* 2. planè contraria, imò ignota & inimica naturæ

Digitized by Google

(quam violat) libido, deſtinatum ſexum egrediendo, vel conſortium naturę humanę, capitalis eſt §. 5. *Inſtit. de publ. judic. & l.31. cod. ad leg. Iul. de adult.* & de conſuetudine, conflagratione & igne punitur, quia eo pęnę genere peculiaris numinis indignatio in hęc ſcelera ſtatim à condito orbe in duarum excidio urbium, eſt teſtata, *novel.* 77. *&* 141. præſtat quoque hoc flagitium cauſam diſſolvendo convictui conjugum, Vivius *lib.2. opin.* 256.

Cæterum coniunctionum illicitarum & peccatorum ſunt gradus, & adulterij malum vincit fornicationem: vincitur ab inceſtu, & inceſtum vincit, is coitus, qui contra naturam fit & eo modo quo jam dictum eſt. *Can. adulterij cum tribus ſeqq.* 32. *quæſt.* 7. Iſtis adjunge Lenocinium; eſt enim crimen turpis quæſtus adminiſtrum, caſtitatis furtum, ſeu latrocinium à Juſtiniano appellatum, *novel.* 14. §. *ſancimus.* & Lenocinium facere dici-

tur, qui mulieres quæſtuarias proſtituit, *l.* 43. §. *Lenocinium ff. de rit. nupt.* qui infamandæ uxoris cauſa, adulterum ſubjecit, ut eum deprehenderet; qui quæſtum ex adulterio uxoris fecit, *l.* 2. *&* 29. *ff. ad leg. Iul. de adult.* & qui domum ſuam ſtupro, vel adulterio committendo præbuit, *l.* 8. *& ſeqq. ff eod.* tandem Lenocinium de jure Civili morte plectitur, *novel.* 14. licet in praxi aliquandò mitius agatur.

De Vſuris.

EST etiam uſura delictum mixti fori, & in foro Eccleſiaſtico non infrequens, furtoque proxima eſt & rapinæ ſpecies. Imò non minus crudelis eſt, qui trucidat pauperẽ fœnore, quam qui ſubſtrahit aliquid, vel eripit diviti, *Can. quid dicam.* 14. *quæſt.* 4. & ex eodem fonte manat quo furtum, nempe ex avaritia, teneturque uſurarius non minus quam fur, de reſtitutione *c. cum tu* 5. *c. tua nos* 9. *& Can. con-*

ſuluit 10. *extr. de uſur.* adeo ut quamvis debitor juraret creditori ſe uſuras ſolutas non repetiturum, ad earum tamen reſtitutionem per Judicem Eccleſiaſticum compelli debeat, *Can. qui fruſtra* 14. *de uſur.* Imò & peccat qui uſuras accipit, non qui ſoluit, *c. debitores de jurejur.* quique uſuras accipere non eſſe peccatum pertinaciter aſſerit, ut hæreticus punitur. *Clem. un. §. fin. de heret.* Addo in uſura turpitudinem eſſe ſolum ex parte accipientis; in ſimonia verò ex parte utriuſque.

Sed quid eſt uſura? Reſp. Uſuram, in genere & hac in parte, dici id omne quod ſorti principali accedit, id eſt, quicquid ultra ſortem principalem, ſeu debitum, creditor, ratione mutui ex pacto; vel præcedente ſua intentione, accipit *cap. fin. extr. de uſur.* ſi quid ergò ſorti & lucro creditoris accedat, præter ejus fœnerandi intentionem, uſura non erit. Panorm. *ad rubric. extr. de uſur.* Gloſſ. *in Can.*

conſuluit 10. *ad verb. ſperantes eod.*

Quot modis dividitur uſura? Reſp. Multis; alia enim dicitur uſura realis ſive conventionalis de quâ expreſſe convenit, ut quando quis mutuat cum pacto expreſſo vel tacito de lucro ex mutuo percipiendo: alia dicitur mentalis, quando quis mutuat eo animo & intentione, ut lucrum ex mutuo recipiat, ſed omni conventione ceſſante, id eſt, citra conventionem, expreſſam vel tacitam cum mutuatario, de tali lucro ultra ſortem percipiendo, *dict. cap. conſuluit* 10. & *C. uſura eſt* 14. *quæſt.* 3.

Realis uſura adhuc ſubdividi poteſt in expreſſam & tacitam: expreſſa eſt, quando pactum intervenit expreſſum de lucro ex mutuo percipiendo. Tacita eſt, quandò ſolum tacitum adeſt pactum, veluti, ſi Titius ſolitus ſit mutuare cum uſuris, & mutuans Caïo, dicat eidem ſcis conſuetudinem meam in mutuando.

Realis rurſus uſura, alia dici po-

teſt formalis, & alia virtualis: illa eſt, in qua formaliter intervenit mutuum, cum lucro ex eo, veluti, ſi mutues Caïo centum, ut elapſo anno centum & quinque recipias: virtualis eſt, in qua mutuum intervenit tantum virtute & implicitè, prout intervenire dicimus in venditione rei pluris juſto pretio ob dilatam ſolutionem, & in emptione minoris juſto pretio, ob anticipatam ſolutionem. Utraque enim illa venditio & emptio uſuraria eſt, *c. in ciuitate, c. conſuluit, & c. fin. extr. de uſur.* quia venditor concedens talem dilationem implicitè emptori mutuat pretium uſque ad tempus ſolutionis: & dum emptor anticipat ſolutionem, implicitè mutuat uſque ad tempus traditionis. Et hoc mutuum interpretes vocant præſumptum, obliquum, & brevi manu contractum: magis autem ſpectandum eſt, quod agitur, quam quod ſimulatè concipitur, *tot. tit. cod. plus valere quod agitur*, &c.

Dividitur præterea uſura in ge-

nere, in compenſatoriam, punitoriam, & lucratoriam.

Compenſatoria eſt, id quod præſtatur in compenſationem damni quod creditor paſſus eſt propter moram tardæ ſolutionis, vel in compenſationem intereſſe, quod ille paſſus eſt, ſive in damno dato, ſive in lucro ceſſante; v. g. ſi mercator det mutuò pecunias, ex quibus lucrum facere poteſt, non prohibetur paſciſci de aliquo augmento in compenſationem lucri, quod facturus erat ex ſua pecunia unde apparet hanc ſpeciem non eſſe prohibitam; exigitur namque compenſatoria uſura pro ratione juſti intereſſe, damni ſcilicet emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ratione periculi, laboris, aut expenſarum, quæ probabiliter timentur in recuperando mutuo, unde licita eſt, *cap. ſalubriter* 16. *extr. de uſur.* quia nemo tenetur benefacere alteri in ſuum præjudicium, addo quod jure etiam divino id quod intereſt, licitè petatur. *Exod. c.* 21.

Digitized by Google

& 22. & *cap. 1. & 2. de injur.* vide *cap. per tuas de arbitr.*

Punitoria continet pænam aliquam, ſolvendam per mutuatarium, propter ejus in mutuo reddendo moram; eſt enim acceſſio quam quis ſtipulatur in pænam debitoris, eo caſu quod in mora fuerit; v.g. ſi paſciſcar centum à Titio, & ille promittat certam pecuniæ, ſummam, eo caſu ſi certo die non ſatisfecerit hæc etiam ſpecies non reprobatur à jure Civili aut Canonico, modo ſit intra legitimum modum, vide *cap. ult. & ibi Canon. extr. de uſur. l. cum quidam* 17 *§. 3. & l. mora 82. ff. eod.* Solvitur namque quaſi in pænam moræ, id eſt, fruſtrationis ſolvendi tempore debito, ſimulque ad penſandum damnum, quod creditori ex mora contingit, vel etiam lucrum amiſſum, id quod vocamus, id quod intereſt, *l. 13. cod. de uſur.* & hanc ſpeciem alii vocant uſuram reſtaurativam.

Lucratoria denique uſura merum lucrum continet; & lucrum

Digitized by Google

ex mutuo proveniens dicitur, committiturque, quoties aliquid temporale & æſtimabile pretio accipitur ultra ſortem mutuo datam, quaſi ex juſtitia debitum ob nudum officium mutuationis, hanc ſpeciem tollerant legiſtæ modò non excedat eam quantitatem, quæ definitur *in l. eos qui cod. de uſur.* quod enim ſupra iſtum modum eſt, reijcitur, & imputandum in ſortem, vel debitori reſtituendum, vide *l. ſi non ſortem* 26. *ff. de condict. indebit.* At verò jure divino & Canonico hæc uſuræ ſpecies omnino damnata eſt, ſcilicet lucratoria, uſura, quæ propriè uſura intelligitur, quando nempè pro ſolo uſu pecuniæ, atque ità meri lucri causâ & propoſito exigit aliquid creditor. Ideò quod contra fas humanitatis ſit, eum, quem neceſſitas rei familiaris ad petendum mutuum adigit, non ſublevare, ſed onerare, & afflicto afflictionem addere, *dict. cap. conſuluit.* 10. *extr. de uſur. Pſal.* 14. *Ezech.* 18. ubi dicitur,

Digitized by Google

de eo, qui dederit ad uſuram, quod non vivet: & in Novo Teſtamento ex verbis Chriſti, *Lucæ 6. mutuum date, nihil inde ſperantes* mutui enim contractus natura eſt, ut nihil ultra quam datum eſt, promitti aut exigi poſſit, *l. rogaſti §. ſi tibi dedero ff. de reb, cred. l. ſi tibi decem. ff. de pact.* &c. tum quia mutuum procedit ex officio amici, quod gratuitum eſſe debet, *l.* 1. *ff. mandat.* his omnibus addo in caſu neceſſitatis rei familiaris, uſuras promittentem & ſolvere volentem non malè comparari ei, qui levandæ navis cauſa in tempeſtate ſuas merces proiicit, in mare.

Quænam ſunt igitur uſurariorum pænæ? Reſp. Varias eſſe ex utroque jure, nam de jure Civili, eo caſu quo uſuræ reprobatæ ſunt, veluti cum uſuræ uſurarum exiguntur, incurritur infamia, *l. improbum cod. quibus ex cauſis infamia irrogatur.* De jure Canonico uſurarius excommunicatur, ita ut nec admitti ad altare, nec ad Chriſtianam

ſepulturam, nec ad oblationem debeat, *cap. quia in omnibus in fin. extr. de uſur.* Quod verùm eſt ſi ille ſit manifeſtus & denunciatus, ut volunt Leſſius & Suarez: item non poteſt uſurarius manifeſtus teſtari aut diſponere per ultimam voluntatem, niſi ante mortem ſuam reſtituerit uſuras, vel idoneè caverit per pignora, vel fidejuſſores de iis reſtituendis, *cap quamvis de uſur. in* 6. Et illa obligatio reſtituendi tranſit ad uſurariorum hæredes, *cap. cùm tu, & c. tua nos extr. de uſur.* quin imò licèt nihil ad eos pervenerit, tamen ſatisfacere compelluntur jure Canonico, juxta facultates defuncti, ut ſaltem hoc modo expietur peccatum defuncti uſurarij, *c. ult. extr. de ſepult. & c. in literis extr. de raptorib.* Et reſtituere debent uſurarij non tantùm his à quibus uſuras acceperunt, ſed & eorum hæredibus, & his non exiſten ibus pauperibus, *dict. cap. cùm tu.* ſi quidem in bonis habeant unde reſtituere poſſint, *cap. Odoard. de*

ſolution. Et ſic inopia à reſtitutione excuſat, & reſtituiſſe etiam videntur, ſi ab eo, qui uſuras petere poteſt, eæ ſint remiſſæ. *Dyn. in reg. peccatum* 4. *num.*8.*de reg. jur. in* 6.

Cæterùm uſuras exigere interdicitur omnibus Clericis, Laïcis, Judæis, Civitatibus, ſeu Collegiis, etiam prætextu captivorum redimendorum, aut utilitatis Clericorum ad illorum ſtipendia, *arg. c. ſuper eo extr. de uſur.* & ab omnibus accipere, *c. fin.* 14 *q.* 4. *junct. Matth. c.* 3: uſura etenim non tantùm ſingulos affligit, ſed Rempublicam quoque turbat, Sueton. *in Jul. cap.* 42 & non tantùm excommunicantur uſurarij manifeſti, ſed etiam domini temporales qui eos in ſuis terris ſcienter admittunt, quique eis domos locant, niſi eos intra tres menſes expellant, *cap.* 1. *de uſur. in* 6. Sic etiam excommunicantur illi qui ſtatuta condunt de ſolvendis uſuris, necnon judices qui in judiciis illa ſtatuta obſervant, aut ad earum ſolutionem

Digitized by Google

cogunt, *in Clement. unic. de uſur.* Et hæc de uſuris hîc dicta ſufficiant pro tenore inſtitutæ brevitatis.

CAPUT XXX.

De modis quibus criminalia judicia inſtituuntur.

POſt enarrata varia criminum genera, nunc videndum, quomodo ea in judicium deducantur, ut puniantur delinquentes.

Sciendum igitur judicia criminalia tribus potiſſimùm modis inſtitui, nempè per accuſationem, inquiſitionem, denunciationem, *c. licet Heli* 31. *de ſimon.*

Accuſatio eſt delatio alicujus criminis cum inſcriptione facta apud competentem judicem ad vindictam & ultionem publicam. Colligitur hæc deſcriptio *ex l. fin. cod. de accuſat.* ubi Imper. ſic loquitur: *Quiſquis enim crimen inten-*

dit in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem, habitâ tamen dignitatis æſtimatione, patiatur, nec impunitam fore noverit mentiendi licentiam, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicij.

Cauſa materialis accuſationis, eſt crimen; cauſa formalis, ut procuretur vindicta publica: intereſt enim Reipubl. delicta puniri, & inde dicitur vindictam publicam; in exemplum ſcilicet populi, ut omnes à talibus criminibus abſtineant: accuſationis denique cauſa formalis, eſt ut fiat cum inſcriptione, quæ dicitur obligatio in ſcriptis facta; quâ accuſator ſe obligat, non probato crimine, ad eam pœnam, quam reus, illo probato ſubire debuiſſet, *can. quiſquis 2. quæſt. 8. & c. qui crimen extr. de procurator.*

Notandum tamen inſcriptionem, ac talionis pœnam hodie paſſim à foro receſſiſſe, valétque talis conſuetudo, ut notat Gothof.

Digitized by Google

ad dict. l. fin. cod. de accuſat. Et ſanè ob antiquum rigorem multi deterrebantur ab accuſando, multáque crimina manebant propterea impunita. Quanquam etiam hodie, ſi quis aliquem de crimine deferat, & partem formatam, ut vocant, ſe adverſus eum conſtituat, ſoleat carceri committi, donec ſatisdederit idoneè de accuſatione proſequenda, & injuria reſarcienda, ſi crimen intentatum minus probet, *l. 2. cod. de exhibendis reis.* Quia tamen hæc pro diverſitate locorum diverſimodè exercentur & obſervantur, ſatiùs fuerit ſequi ſtylum & conſuetudinem cujuſque loci.

Sed quinam poſſunt accuſare? Reſp. Omnes qui non prohibentur, *l. qui accuſare 8. ff. de accuſat.* Prohibentur verò fæminæ propter ſexus fragilitatem, pupilli propter ætatem, milites propter ſacramentum quo obſtringuntur, infames & adulteri propter delictum, ſic & propter conditionem ſuam fi-

Digitized by Google

Iij adverſus parentes ab accuſatione prohibentur,& præter illas perſonas de jure Canonico ſubditus improbus & criminoſus prohibetur accuſare Prælatum vel Magiſtratum ſuum, niſi à fide exorbitaverit, & nomine ſit Prælatus non vitâ; eodémque jure prohibetur inimicus accuſare inimicum, criminoſus criminoſum, Laïcus Clericum, aut Clericus Laïcum ſine expreſſa conteſtatione, ſe non ad ſanguinis vindictam ſeu pœnam attendere, &c. Admittuntur tamen ferè omnes in criminibus atrocioribus, puta læſæ majeſtatis, hæreſis, ſimoniæ, *c. tanta 7. c.licet Heli. de ſimon. l. penult. cod. de iis qui accuſ.* Item admittuntur, ſi ſuam, vel ſuorum injuriam mortémve defendant; *l.hi tamen* 11. *ff. de accuſat. c.de cætero* 14.*ubi gloſſ. de teſtib.* Hodie etiam paupertas non repellit ab accuſatione pauperem honeſtæ fidei & vitæ,Clarus *in pract. crimin. quæſt.* 14.*num.* 19. Cæterùm ſi qui alios accuſare velint, eos im-

munes à crimine eſſe oportet, *can. qui ſine peccato, can. poſtulatus 3. quæſt. 7.* huc facit ille verſiculus

Tu cùm cenſor eris, primùm te crimine purges.

Sed quinam poſſunt accuſari? Reſp. Quod ſicut omnes non poſſunt accuſare, ita nec omnes accuſari; ſic accuſari non poſſunt furioſi & infantes, *l. infans ff. ad l. Cornel. de ſicar. l. impunitas cod. de pœn.* Nec etiam ij quos defectus judicij à delinquendi voluntate excuſat. Minores verò 25. annis tunc rectè accuſantur, ſi puberes aut pubertati proximi deliquerint, quippe capaces jam doli, *l. pupillum ff. de reg. jur.* quamquam interdum miſeratio ætatis poſſit movere judicem ad mitigandam pœnam, *l. auxilium ff. de minor.* Item ſemel à crimine abſolutus per ſententiam definitivam, iterùm de odem accuſari non poteſt, ut neque ſemel damnatus ac punitus, nam de ejuſdem hominis admiſſo ſæpiùs quæ-

Digitized by Google

ri non debet, *l. licet in fine, ff. nautæ caupones*, &c. vide *l. abſentem* 6. *cod. de his qui accuſ. non poſ. & l abſentem* 5. *ff. de pœn.* ubi contra abſentes & damnatos prohibetur accuſatio, ſed tantùm fit annotatio, & poſt annum publicatio, *dict. l. abſentem, & l.* 1. *&* 2. *Cod. de requir. reis.* Quamvis Procuratorem habeant, *l. penult.* §. 1. *ff. de publ. judic. Can. veniens* 15 *extr. de accuſat. & Can. abſens verò* 3. *quæſt.* 9. quia judex ex rei pręſentia, vultu, & aſpectu, qualitate perſonæ, conſtantia, trepidatione, ex oculorum ſermoniſque indiciis in criminis cognitionem ſæpè deducitur; idque verum eſt, ſi pœna capitalis, vel ad triremes, vel alia ſimilia infligenda venit, *dict. l. abſentem, ff. de pœn. & dict. c. veniens.* Planè hodie in Gallia, & alibi, & in foris Eccleſiaſticis bonorum annotationi locum non eſſe, poſſeque abſentes contumaces damnari ad mortem, eorúmque bona adduci fiſco, notat Gothofr. *ad dict. l. abſentem, Cod. de his qui accuſ. non poſſ.*

Digitized by Google

poſt Iul. Clar. *quæſt.* 4.

Sed quid dicendum de Papa & Imperatore, an & ipſi accuſari poſſunt? Reſp. Papam accuſari prohiberi, *c. propoſuit de conceſſ. præb.* niſi de hæreſi, *c. ſi Papa diſt.* 40. Et tum à Principe vel Synodo iudicatur, *c. Princeps* 23. *q.* 5. Prohibetur quoque accuſari Imperator, *dict. c. propoſuit.* niſi hæreſeos, perjurij, ſacrilegij, *c. ad Apoſtolicam de re judic.* Tandem de jure Canonico expreſsè àccuſari prohibentur omnes, qui & jure Civili prohibentur.

Libellus accuſatorius, & qui ab accuſatore datur, debet continere nomen judicis, accuſatoris, ejus qui accuſatur, locum, tempus, & crimen cum ſuis qualitatibus & circumſtantiis: debétque inſtitui accuſatio coram judice competente, ab iis quibus accuſandi jus eſt, contra eos, quos accuſare licet. Competens autem judex eſt alius, ſi Clericus accuſatur, alius ſi Laïcus: Si Clericus, judex competens eſt Eccleſiaſticus, *c. Cleric. de judic. c.*

Digitized by Google

novimus de verb. ſignif. niſi Clericus ſit incorrigibilis, & exauthoratus, & à judice Eccleſiaſtico Curiæ ſæculari traditus vel relictus, *dict. c. novimus.* Si verò Laïcus accuſatur, competens judex eſt ſæcularis qui poteſtatem habet, niſi tale objiciatur crimen, quoad forum Eccleſiaſticum pertineat, ut sacrilegium, uſuræ, perjurium, adulterium: tum enim Eccleſiaſticus judex in quantum crimen objectum contineat peccatum & detrimentum animæ, cognoſcit, *c. novit extr de judic.*

Quid eſt inquiſitio? Reſp. Eſt inveſtigatio ex cura & ſollicitudine judicis competentis, facta de crimine aliquo manifeſto, ut ſciatur quis ſit ejus author, & ut puniatur; fit enim, cùm judex ex officio, nemine accuſante, diſquirit an aliquis deliquerit, vel quis delictum admiſerit, *Can. qualiter extr. de accuſat.* Differt autem ab accuſatione, quod accuſatio fiat à privato; inquiſitio ab ipſo judice:

Digitized by Google

illa eſt de crimine etiam non manifeſto, inquiſitio verò ſupponit crimen eſſe notum.

Dividitur inquiſitio in generalem, ſpecialem, & partim generalem, & partim ſpecialem. Generalis eſt, quando judex generaliter inquirit de facinoroſis, juxta *l. congruit* 13. *ff. de offic. præſid.* quâ dicitur congruere & gravi præſidi, ut tuta ſit & quieta Provincia quam gerit, quod non difficile obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis hominibus Provincia careat.

Specialis eſt, quâ contra certam perſonam certo de crimine inquiritur, *dict. c. qualiter.* Inquiſitio denique partim generalis, & partim ſpecialis eſt, cùm Titio occiſo, judex inquirit quis eum occiderit.

Quid eſt denunciatio? Reſp. Eſt delatio alicujus criminis apud competentem judicem facta, ſed ſine inſcriptione, in quo differt ab accuſatione & inquiſitione, *C. ſuper his, & c. dilectus filius extr. de accuſat.*

Sed advertendum circa prædictos tres modos, quibus crimina in judicium deducuntur, quod tam in foro ſæculari, quàm Eccleſiaſtico, certæ perſonæ conſtitutæ ſint, quarum ſollicitudini incumbit de ſceleratis inquirere, & criminum ultionem proſequi, unde ſi quis ex ſcelere damnum paſſus ſit, vel ex affectione publicæ tranquillitatis velit aliquem ob delictum ſuum puniri; poterit alterum iſtorum, nimirùm, vel in ſcriptis declarare ejuſmodi perſonis admiſſum ſcelus, perſonam ſuſpectam monere de teſtibus, vel etiã adjungere ſe illis, ut communi cura procuretur quies publica & vindicta criminis: & ſic hodie munus accuſandi apud ſęcularem judicem defertur procuratoribus fiſci, & apud judicem Eccleſiaſticum Promotoribus aut Procuratoribus fiſcalibus, vel Syndicis, qui & interdùm nuntij dicuntur, & tales non debent ſe inſcribere quandoquidem neceſſitas officij eos liberet à

ſuſpicione

Digitized by Google

ſuſpicione calumniæ, niſi hæc manifeſtè appareat, *l. poſt Legatum* 5. §. *Advocatum*, *ff. de his quibus ut indignis*, &c.

CAPUT XXXI.

De cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis.

CEnſuræ nomen variè ſumitur, 1° pro dignitate cenſoris, cujus erat de moribus civium indagare, & indignos ab honoribus repellere; indéque derivata vox eſt ad ſignificandam ſeveram aliquam correctionem, vel potiùs mulctam, quæ loco pœnæ imponitur. 2° Pro ipſa ſententia cenſoris mores corrigentis, pœnámque decernentis: prout verò eſt in uſu Eccleſiæ, & à Canonibus uſurpatur, cenſura definiri poteſt, pœna ſpiritualis & medicinalis, per quam homini baptizato & contumaci,

Digitized by Google

quorundã bonorum ſpiritualium uſus aufertur ab Eccleſiaſtica poteſtate, donec à contumacia recedat; ita impoſita, ut per eandem poteſtatem ordinariè abſolvi poſſit, ita Suarez *de cenſuris, diſputat.* 1. *num.* 5.

Quot ſunt cenſuræ ſpecies? Reſp. Ex inſtitutione Eccleſiæ tres eſſe, excommunicationem ſcilicet, ſuſpenſionem, & interdictum, *c. quærenti extr. de verb. ſignif.* Et ratio eſt, quia illæ tres ſpecies ſufficinnt ad effectum & finem cenſurarum, qui eſt inobedientes & contumaces, aut corripere, aut ſi duriores ſint, ab Eccleſia præſcindere. Hinc excommunicatio rebellium & cõtumacium pœna vocatur, *c. nullus, c. certum* 11. *q.* 3. præſertim cùm ab homine infligitur.

Quælibet cenſura, vel incurritur à Canone, vel ab homine: & iterùm quævis eſt, vel latæ ſententiæ, quæ nimirùm ipſo jure ſtatim incurritur: vel ferendæ ſententiæ, quæ non ante incurritur, quàm

intervenerit judicis legitima authoritas: ſic autem diſtingũtur inter ſe, quod ea, quæ eſt latæ ſententiæ, concipiatur per verba præſentis temporis; talis eſt in quam incidit percuſſor Clerici, ſtatim enim & ipſo facto fit excommunicatus, adeò ut ſententia judicis poſtea interveniens, ſit ad declarandam, non inferendam pœnam: altera, quæ nimirùm eſt ferendæ ſententiæ, concipitur per verba futuri temporis, eſtque comminatoria, nec incurritur ipſo facto, niſi poſt judicis ſententiam. Diſconveniunt etiam inter ſe cenſura quæ infertur ab homine, & ea quæ infertur à Canone ſive jure: quod illa ceſſet mortuo conditore, & ceſſante ejus juriſdictione; cẽſura verò à jure perſeverat quouſque jus fuerit revocatum, quamvis conditor cenſuræ juriſdictionem amiſerit: utraque autem in hoc convenit, quod duret in perpetuum poſtquam contracta eſt,

niſi relaxetur juxta Navarrum & alios.

Sed ſolus Clericus habens juriſdictionem in foro externo, ut Papa, Archiepiſcopus, Epiſcopus, &c. poteſt cenſuram ferre in ſubditos, *cap. ab Eccleſiarum extr. de offic. ordinar.* non verò Laïcus, quia non poteſt tractare Eccleſiaſtica jura, & poteſtatem clavium, *cap. decernimus extr. de judic.*

Sed quid eſt excommunicatio? Reſp. Excommunicatio in genere definitur cenſura Eccleſiaſtica ſeparans hominem Chriſtianum à communione. Idem enim ſonat excommunicatio, quod extra communionem fidelium ejectio.

Dividitur in majorem & minorem. Major privat hominem participatione, tam activâ, quàm paſſivâ ſacramentorum, & communione fidelium, *c.* 8. 9. *& penult. extr. de ſent. excommunicat.* Et excommunicatio ſimpliciter prolata, & à judice ſine expreſſione majoris vel minoris lata, intelligitur,

dict. Can. penult. licet aliàs diſpoſitiones pœnales in dubio intelligantur & præſumantur de minore & mitiore pœna, *c. in pœnis de reg. jur. in* 6. Itémque hæc excommunicatio major Græcè dicitur anathema, quia per eam reus repellitur, non ſolum à participatione Sacramentorum, ſed ab omni communione fidelium; nam cum eo non licet communicare in oratione, cibo, potu, oſculo, amplexu, aut ſalutatione, ſive verbo, ſive ſcripto, ſive nutu vel alio ſigno, *c. excommunicatos* 11. *q.* 3. & huc ſpectat ille verſiculus:

Os, orare, vale, cōmunio, menſa negatur.

Minor verò excōmunicatio ſeparat tantùm à perceptione paſſiva Sacramentorum, *dict. cap. penult.* & ſic excommunicatus excommunicatione minori eligere non prohibetur, tamen ſi fuerit electus, talis electio eſt irritanda, & irrita debet declarari: ſic etiam quamvis excommunicatus minori

ſi celebret, peccet, non ſit irregularis, *C. ſi celebrat. de Cleric. excommunicato, vel depoſito miniſtrante.* At verò excommunicatus excommunicatione majori, celebrando, novo vinculo excommunicationis innodatur.

Effectus excommunicationis multi recenſentur, & maximè illius, quæ dicitur major. 1. Ut privet à ſuſceptione & uſù Sacramentorum, *c. cum illorum de ſentent. excommunicat.* Excipe ſi evidens ſit periculum mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ bonorum, aut ſcandali, quia lex Eccleſiaſtica non ſolet obligare cum tãta ſeveritate.

Secundus effectus eſt, quod privet omnibus ſuffragiis, quæ ex publicis officiis & ſacrificiis fidelium proveniunt, ſicut & fructu ſatisfactionum & indulgentiarum, *cap. à nobis, & cap. ſacris de ſentent. excommunicat.* Ratio eſt, quod cùm Eccleſia ſit diſpenſatrix illorum bonorum, poſſit iis privare quos æquum judicat.

Digitized by Google

Tertius eſt, quòd prohibeat administrationem ſive uſum activum Sacramentorum, quod intelligi debet de non neceſſariis Sacramentis, unde dicitur quod excommunicatus poteſt in caſu neceſſitatis baptizare.

Quartus eſt, quòd excommunicato prohibitum ſit celebrare divina officia, atque iis intereſſe, *cap. ſignificavit extr. de ſentent. evcommunicat. & cap. alma mater eod. tit. in 6.*

Quintus eſt, quòd excommunicatum reddat inhabilem ad beneficium Eccleſiaſticum acquirendum, *cap. poſtulaſtis, & cap. ult. de Clerico excommunicat.* &c.

Sextus eſt, quod reſcriptum à ſede Apoſtolica impetratum per excommunicatum in ſui utilitatem, ipſo jure ſit irritum, *cap.* 1. *de reſcript. in* 6.

Septimus eſt, quòd excommunicatus privetur exercitio juriſdictionis ſpiritualis, adeò ut nec ipſe excommunicare poſſit, *Can. audivimus* 14. *q.* 1. nec delegare juriſdi-

Digitized by Google

ctionem, *cap. ſi is cui de offic. delegat. in 6.*

Octavus eſt, quòd privet communione forenſi, ideò nec judex, nec tabellio, nec advocatus, procurator, actor, nec teſtis eſſe poteſt excommunicatus, *c. ad probandum de re judic. c. decernimus de ſentent. excommunic. in 6.*

Nonus excommunicationis effectus eſt, quod excommunicato prohibita ſit omnis civilis & politica communicatio fidelium, *cap. 2. de except. & cap. ſi aliquando de ſentent. excommunicat.* Adeò ut communnicans ſcienter cum excommunicato excommunicatione majori, incurrat minorem, *Can. ſi deſideras 15. extr. de ſentent. excommunicat.* Sunt tamen certi caſus quibus cum excommunicato participantes ipſi excommunicationem non incurrunt & excuſantur, ut uxores, liberi, ſervi, ancillæ, ruſtici ſervi ſervientes, & quotquot ex officio tenentur excommunicato adeſſe, item peregrini

Digitized by Google

propter neceſſitatem, & qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis, *Can. quoniam* 11. *q*. 3. Ex quo etiam Canone ignorantia non improbabilis excuſat: inſuper creditor debitoris excommunicati excuſatur, *Can. ſi verò* 34. *extr. de ſent. excommunicat.* idémque dicendum de eo qui cum excommunicato in his, quæ ad abſolutionem, vel ſalutem animæ pertinent, in ſermone participat, *c. reſponſo* 43. *& c. cum voluntate* 54. *extr. de ſent. excommunicat.* Hnc ſpectant illi verſiculi. Gloſſ. *in dict. Can. cum deſideres* 15.

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe,
Hæc anathema datum faciunt ne poſſit obeſſe.

Sed hîc obiter notandum poſt Concil. Conſtantienſe nos teneri ad vitanda ſolùm duo genera excommunicatorum; nempè nominatim excommunicatorum & denuntiatorum: item eorum, qui ſunt notorij Clericorum percuſſo-

res. Quod & Leo X. ordinavit in Concil. Lateranenſi. Cujus ordinationem refert Piaſec. 2. *p. cap.* 4. *art.* 13. *num.* 19.

Sic & in Gallia excommunicati non ſunt vitandi, niſi expreſsè fuerint denunciati, retinéntque teſtamenti factionem activam & paſſivam, teſtimonium ferre poſſunt, ut & ſuccedere, contrahere, ſtare in judicio, jure gentilitio vel dominico uti ad retrahendum prædia alienata, & alio jure civitatis uti in temporalibus, Tiraquellus *de retractu* §. 1. *gloſſ.* 9. *num.* 27. Ferrerius *ad Guid. Pap. c.* 212. Molineus *ad l.* 1. *Cod. de jur. & fact. ignorant.* Et de generali Regni Galliæ conſuetudine in judiciis rerum temporalium non admittitur exceptio excommunicationis, Aufrerius *quæſt.* 132. ſed jure Canonico, communi ſecùs, & excommunicati nec teſtari, contrahere ſtare in judicio, alióve jure Civitatis uti non poſſunt, & apud Romanos à teſtimonio repellebantur, ut conſtat ex illo loco

Senecæ, *lib.* 1. *controverſ. Non ſunt teſtes idonei, quibus clauſa ſunt templa.*

Ex prædictis ſequitur nullam pænam in Eccleſia eſſe excommunicatione majorem, *Can. corripiatur* 4. *q.* 3. ex quo privat hominem non ſolùm participatione in divinis, ſed & humanis cum fidelibus: ſummum enim pœnæ genus eſt verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis, ut ait Imperator *in l.* 3. *Cod. de Apôſtatis.* Hinc Prælati nec debẽt, nec poſſunt quempiam ex ſuis ſubditis excommunicare, niſi ſubſiſtente gravi & juſtâ causâ, exprimenda in ipſa ſententia, & propter contumaciam trinâ monitione præmiſsâ, *Can. contingit* 36. *& Can. ſacro extr. de ſentent. excommunicat.* & non ſolùm verbo, ſed in ſcriptis, ejúſque copia, dando reo, ſi petat. Et qui contravenerit, graviter à ſacris Canonibus punitur, vide *Can.* 1. *de ſent. excommunicat. in* 6. nõ enim temerè & levibus ex cauſis gladius ſpiritualis eſt diſtringendus; ſed ſobriè & cum magna cir-

cumſpectione, ne magis contemnatur, quàm formidetur, & perniciem potiùs pariat, quàm ſalutem; *Concil. Trid. de reformat. c. 3. ſeſſ. 25.* Facit Conſtitut. Aurelianenſis, videatur, unde ſi ſpes ſit correctionis, reus non debet excommunicari, *c. nemo 11. q. 3.* Nec ſi ob iracundiam vel contumaciam rei judex viderit excommunicationem inutilem fore; nam Eccleſia non diſtringit gladium ſpiritualem ut occidat, ſed ut vivificet, *c. inter hæc 23. q. 2.* gladius ille medicinalis eſt, non mortalis; diſciplinans, non eradicans, *c. 1. de ſent. excom. in 6.* & hæc de prima cenſura, ſcilicet excommunicatione, dicta ſufficiant.

Quid eſt ſuſpenſio? Reſp. Suſpenſio, prout hîc ſumitur, eſt cenſura Eccleſiaſtica per quam impeditur perſona Eccleſiaſtica uti aliquo jure Eccleſiaſtico. Dico (perſona Eccleſiaſtica) quia hæc pœna & cenſura cadit in ſolos Clericos. Dico, impeditur uti) ut oſtendatur quod illa perſona in quam ca-

dit, non privatur tali jure, ſed tantùm impeditur uti illo, & illud exercere: jus verò illud Eccleſiaſticum conſiſtit in officio Clericali, vel juriſdictione, vel beneficio. Unde ſuſpenſio rectè dicitur inhabilitas quædam ordinum vel officiorum executionem impediens; quâ autem formâ infligitur, declaratur, *cap.* 1. *&* 2. *extr. de ſent. excommunicat.* Illius effectus eſt inducere irregularitatem, ſi quis actum aliquem officij, à quo ſuſpenſus eſt, exerceat: ſuſpendere autem poteſt omnis & ſolus, qui excommunicare, & præſupponit hæc pœna in reo aliquam culpam, & plerumque mortalem; quia tam gravis pœna non debet communiter ferri ob venialem: quę verò crimina digna ſint ſuſpenſione, certâ regulâ tradi nequit, Pialec. 2. *p.* 6. 4. *num.* 18.

Quomodo dividitur ſuſpenſio? Reſp. Alia eſt totalis ſeu abſoluta, per quam quis impeditur uti omni jure, & alia partialis qua impeditur uti vel officio tantũ, vel beneficio

rãtùm, vel ſecundũ aliquos actus: item ſuſpenſio alia eſt major & alia minor: per illam reus ſuſpenditur ab officio Eccleſiaſtico, & etiam beneficio: per hanc, ſuſpenditur tantum ab alterutro: & hæc ſuſpenſio minor operatur tantum ad fines expreſſos; nam in pœnalibus regulariter non fit extenſio. *c. odia de reg. jur. in 6. & c. ſtatutum de elect. eod.* At verò ſuſpenſus ſuſpenſione majori, privatur uſu Eccleſiaſtici officij & beneficij, & conſequenter fit inhabilis ad ordines & beneficia. Item ſuſpenſio alia eſt Canonis ſeu juris, & alia judicis: Canonis eſt, quando aliquis ob notorium crimen ipſo jure à ſui ordinis vel officij executione arcetur: Judicis verò ſuſpenſio eſt, cum quis per ſententiam à dicta executione removetur, eámque debet præcedere monitio, & fieri in ſcriptis cauſa expreſſa, *c. 1. de ſent. excom. in 6. junct. c. reprehenſibilis 26. de appellat.* Et hæc de ſecunda cenſura dicta ſufficiant.

Digitized by Google

Quid eſt interdictum? Reſp. Interdictum, prout hic ſumitur à Canoniſtis, eſt cenſura Eccleſiaſtica privans participatione vel Sacramentorum, vel divinorum officiorum, vel Eccleſiaſticæ ſepulturæ, *c. fin. de ſent. excomm. in 6.* Durante enim interdicto non adminiſtrantur Sacramenta, non etiam celebrantur divina officia, nec conceditur Eccleſiaſtica ſepultura.

Dividitur interdictũ in locale, & perſonale: Locale loca ipſa immediatè afficit, ut ſi interdicatur ne in aliqua urbe, vel loco miniſtrentur Sacramenta, & cætera officia ceſſent: perſonale verò interdictum afficit perſonas, quatenus illis prohibetur ne participent de ſacris functionibus. Differunt etiam inter ſe locale & perſonale interdictum, quòd locale extendatur tam ad indigenas, quàm alienigenas: Perſonale verò non extendatur ultra perſonas quæ ſunt de civitate, vel communitate, cui interdictum eſt: & univerſitate, ſeu

civitate interdictâ, ſinguli qui ex ea civitate ſunt, interdicti cenſentur, *c. ſi ſententia de ſent. excom. in 6.* & extenditur tale interdictum ad civitatis interdictæ ſuburbia & ædificia continentia, *c. ſi civit.* 17. *de ſent. excom. in* 6. ex quo etiam Canone habetur quod interdictum ſpeciale alicujus Eccleſiæ extendatur etiam ad Capellam & cæmiterium contiguum: at verò populo interdicto non continetur nec interdicitur Clerus, nec è contra, *dict. c. ſi ſententia.* Nec etiam interdicto Clero & populo Epiſcopus interdictus cenſetur, *c. quia periculoſum* 4. *de ſent. excomm. in* 6. nam in interdicto perſonali ſtricta fit interpretatio: ſed interdictum ſive locale ſit, ſive perſonale, poteſt ſubdividi in generale, quo ſcilicet interdicitur locus univerſalis, ut Regnum, Provincia, vel Univerſitas hominum, ut populus talis Regni vel Provinciæ: & in ſpeciale, quo nimirùm interdicitur locus particularis, vel loca particularia,

ut cùm ex pluribus Eccleſiis una, vel paucæ interdicuntur. *dict. Can. ſi civitas.* Vel perſonæ ſingulares, una vel plures, certæ vel incertæ.

Præterea dividitur in interdictum à jure ſive Canone, & interdictum ab homine ſeu judice: illud eſt, quod ipſo jure, ſive ipſo facto inducitur, quale fertur in cõmunitatem, vel civitatem quæ uſuras permittit, uſurarios non expellit, *c.* 1. *de uſur. in* 6. Vel contra dominum territorij, qui Legatum vel Nuntium Apoſtolicum non admiſit, *c.* 1. *extr. de conſuet.* Ejus enim ditiones interdicto ſubjacent: vel in Eccleſiam ſanguinis, vel humani ſeminis effuſione pollutam, vel ſimoniacè conſecratam, *c. is qui de ſent. excom. in* 6. Vel in Civitatem, aut Communitatem quæ hoſtiliter Cardinalem Romanæ Eccleſiæ, vel Epiſcopum ſuum inſecuta fuerit aut cæperit, *c fin. de pœn. in* 6 *Clem.* 1. *eod.* Aut ſi repreſſalias adverſus Eccleſiaſticas perſonas permiſit, nec permiſſas

intra menſem revocavit, *c.* 1. *de injur. in* 6. &c.

Interdictum verò hominis ſeu judicis eſt, quod per ſententiam judicis competentis inducitur, qui judex temerè & ſine cauſa interdicere non debet, proindéque hoc interdictum hominis, & debet præcedere monitio, *c. ſtatutum* 13. *de ſent. excom. in* 6. ſi ob contumaciam fit, & illud fieri in ſcriptis, causâ, propter quam profertur, appoſitâ & comprehensâ, *c.* 1. *verſ. & hæc eadem de ſent. excom. in* 6.

Cæterùm interdicere poteſt, qui excommunicare & ſuſpendere; & ſimiliter qui poteſt excommunicari & ſuſpendi, poteſt etiam interdici, & inſuper loca. Forma ordinaria interdicti hæc eſt: talem populum, aut locum, &c. interdicto Eccleſiaſtico ſubjicimus, ex *c. cùm in partibus extr. de verb. ſignif. & c. ſanè de offic. deleg.* Effectus denique regulares interdicti, ſive ex eo promanantes tres ſunt, ut colligitur ex ſuprà allata interdicti de-

Digitized by Google

finitione. Primus eſt, quod tempore interdicti Sacramentorum participatio & uſus tam activus, quàm paſſivus prohibeatur, *c. quod in te, de pœnit. & remiſſ. in 6.*

Secundus effectus eſt, quòd prohibeatur tam celebrare, quàm audire divina officia, *c. ſi ſententia, & c. ult. de ſent. excom. in* 6.

Tertius effectus eſt, quod prohibeatur Chriſtiana ſepultura, *dict. c. quod in te.*

Nota tamen tempore interdicti permitti Baptiſmum & Confirmationem omnibus, & morientibus permiſſam eſſe Pœnitentiam, & Euchariſtiam, *c. reſponſo extr. de ſent. excom. & c. quoniam* 19. *eod. in* 6. Non autem permiſſa eſt Extrema Unctio Laïcis, omninò Clericis, *dict. c. quod in te.* Nec etiam permittitur dari ſolemnis benedictio ſponſis juxta Navar. *cap.* 27. *num.* 179. ub alios citat, licet matrimonium tẽpore interdicti contractum non eſſe prohibitum affirmet Piaſec. *part* 2. *c.* 4. *art.* 11. *num.* 8. & iſta notanda.

quoad effectum prohibitivum Sacramentorum tempore interdicti.

Sic etiam reſpectu prohibitionis celebrationis divinorum officiorũ etiam tẽpore interdicti obiter notandum eo etiam tempore permiſſam eſſe celebrationem Miſſæ, aliorúmque divinorum officiorum, *dict. c. quod in te, & c. alma mater de ſent. excom. in 6.* Dummodo ſubmiſsâ voce, januis clauſis, non pulſatis campanis dicantur, *dict. c. alma mater.* Imò in feſtivitatibus Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Divæ Virginis permiſſa eſt divinorum officiorũ celebratio pulſatis campanis, apertis januis, altáque voce, ut latiùs in *dict. c. alma mater*, poterit videri. Et hæc de tertia ſpecie cenſuræ Eccleſiaſticæ dicta ſufficiant.

Prædictis tribus cenſuræ Eccleſiaſticæ ſpeciebus proximè accedunt depoſitio, degradatio, ceſſatio à divinis, & irregularitas.

Digitized by Google

Depoſitio in genere ſignificat omnem remotionem quæ fit à munere, aut dignitate, vel propter crimen, vel propter ſenium, vel alium defectum: in ſpecie verò, & quatenus eſt cenſura Eccleſiaſtica, definitur pœna, per quam Eccleſiaſtica perſona ob enorme crimen, ab officio, beneficio, & juriſdictione Eccleſiaſtica removetur, & quidem in perpetuum; & in hoc differt à ſuſpenſione, quòd depoſitio tollat omne jus Eccleſiaſticum, in quantum tolli poteſt, ſuſpenſio verò non item, ſed impedit tantū exercitium quoad tēpus: differt etiā depoſitio ab irregularitate, quod depoſitio privet ordinibus jā ſuſceptis; irregularitas vero ordinum ſuſceptionē impedit.

Degradatio (depoſitio ſolemnis aliàs dicta) eſt etiam pœna Eccleſiaſtica, per quam Clericus privatur omni officio, beneficio, juriſdictione, & inſuper Clericorum privilegiis, ita ut poteſtati ſæculari deſeratur & trada-

tur, & degradatione efficitur veluti Laïcus, & in eum manus injiciens non incidit in pœnam Canonis, *ſi quis ſuadente diabolo* 17. *q*. 4. & ſolemniter & actualiter degradatus fit irregularis, & ordine motus dicitur quantum ad exercitium & legitimum ordinis uſum, non quoad characterem, nec ſimpliciter quoad uſum; nam retinet characterē, etiam in inferis, ex Theologorum ſententia, & quamdiu eſt in vivis celebrare poteſt, licèt celebrando peccet, *c.* 2. *de Cler. excom. vel depoſ. miniſtrante*, D. Thom. 4. *ſent. diſt.* 18. *q*. 1. *art*. 2. quo nomine tenetur recitare horas Canonicas, ne ſit melioris conditionis, quàm ſapiens, *l. ſed honore*, *ff. de interd. & releg.* Sed de degradatione vide me fuſiùs ſuprà, *cap.* 16.

Ceſſatio à divinis, non eſt quidem cenſura vel pœna, ſed eſt ſimplex prohibitio divinorum officiorum in ſignum graviſſimi mœroris, quem Eccleſia concepit propter injuriam ipſi, vel honori divino

Digitized by Google

irrogatam ; ad hunc finem, ut injurioſus deſiſtat & ſatisfaciat Eccleſiæ læſæ, *Clem.* 1. *de ſent. excom. c. ſi Canonici, & c. quamvis de offic. ordinar. in* 6.

Irregularitas demùm eſt impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipere, aut in ſuſcepto miniſtrare. Et nota non incurri irregularitatem, niſi in caſibus jure expreſſis per textum *in cap.* 18. *de ſent. excom. in* 6. Odioſa enim reſtringenda ſunt, non amplianda, *c. odia de reg. jur. in* 6.

Hinc ſi quis ſolùm prohibeatur à jure, ne initietur Sacerdotio, non ideo prohiberi debet à Diaconatu, Subdiaconatu, & reliquis Ordinibus, quare Canones quibus irregnlaritas incurritur, diligenter inſpiciendi & attendendi. Quantùm vero ad diſpenſationem ſuper irregularitate, & quatenus ea eſt permiſſa Epiſcopis, vel non, vide Concilium Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.*

Digitized by Google

Et hæc de prædictis cenſuræ Eccleſiaſticæ ſpeciebus, pro tenore inſtitutæ brevitatis hîc dicta ſufficiant.

FINIS.

GLORIA, LAUS ET HONOS DEO ET DEIPARÆ.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google